

1086.











818

No. 1086.







DE
DOCT
ONIS,
NE ET
clytis Da
trionalium
tempora,
gum,su
def

IN A
niensi
ctor

IOHA

H

ORATIO DE INITIIS DOCTRINÆ RELIGIONIS, PROPAGATIONE ET INCREMENTIS IN INclytis Daniæ, & reliquorum septentrionalium Regnis, vsq; in præsentia tempora, tum statu Reipub. ac Regum, sub quibus vel Religio piè defensa ac conseruata fuit, vel prorsus exterminata,

Habita

IN ACADEMIA HAFniensi, in renunciatione Doctoris die XV. Septembris Anno.

+ Georgii Christoph. Dibvadii.

1590.

à

IOHANNE OLAI SLANGENDORPIO.

Hafniæ Matthias Vinitor.
1591.

BENIGNO ET CANDIDO LECTORI S.



Vm præclaro gẽtium omnium cõsensu, boni studiosiq́ mortales, qui in hac vita multis fortunæ lusibus exposita, inclytis augustæ virtutis ac pietatis operibus, maximè diuturnam laudem petentes, hunc vnum veluti summum ex tota laboriosæ vitæ agitatione fructum spectent, vt nominis sui memoria ad posteros nobili perenniq́ literarum præsidio, postquam cætera omnia tempus edax celeriter absumit, quàm longißimè proferatur. Non mirum sanè si eruditi ac pij homines, principes viros & Ecclesiæ CHRISTI Doctores, qui vitæ humanæ stamina gloriosis ac illustribus factis conspicua, ad æternam solidamq́ue beatitudinem, non in arida sterilique virtutis imagine (vt olim Philosophi, arbitri inter atratam & cæsiam disciplinam dati) sed in nobilium operum æmulatione, cognitione nempe veri Dei, eiusq́ue voluntatis meditatione ac doctrinæ cœlestis propagatione constanti, posuerunt: per-

petuo

petuo hiſtoriarum curſu latè celebrent, aut illorum laudes ardentiſsimæ virtutis auſpicijs partas, orationibus ac narrationibus contractioribus, argutaque quadam breuitate exprimant. Habet enim in ſe hoc cogitandi ſtudium etiam ſuam vtilitatem, nimirum vt excellentibus virtutibus præditos & cæteris præſtantes, vel apud ipſos hoſtes ac inimicos in admirationem rediuiua cũ laude perducat, vel inijciat elegantioribus ingenijs quendam honeſtæ cupiditatis aculeum: cognoſcendi ſcilicet eorum nomina, qui res literarum memoria dignas, vel forti conſilio ac pugnaci dextera confecerint, vel radioſo virtutum lumine, pietatiſque flagranti feruore ac vitæ innocentia ſplendentes, ſaluificum ac coruſcum cœlorum ſolem, CHriſtum IEſum, carnis humanæ chlamyde amictum, & hominum peccantium ſoſpitatorem vnicum, per multos fines prædicârint, tum præclara diuinarum virtutum exempla imitanda poſteris tradiderint. Itaque hac ſuperiore æſtate anni 1590. inter varias occupationes, ac æſtuoſas populariter graſſantis morbi febres, dum honores ac ſupremi in Theologia tituli, collegæ noſtro Reuerendo ſolenni inauguratione decernerentur: iuuit herclè longo obrutã

ſitu, & modo aliquo iacentem memoriam Doctorum ac regum, qui fato functi, in hac clariſsima patria noſtra, cùm virtutis dexteritate, tum ingeniorum fœcunditate ac pietatis ſtudio floruerint, & felicium operum monumenta poſteris reliquerint; vel naturæ genio aut maligno dæmone ducente, iura religionis Chriſtianæ, ſeuera ac pertinaci audacia ruperint, in anguſtam orationem contrahere ac digna pietate ſuſcitare. In qua non exactam tēporis rationem aut annorum ſeriem anxio ſtudio perquiſiui, ſed lectori candido in ĳs, quæ de temporum perplexitate ambitiosè & turbulenter excitari poſſent, integrum iudicium relinquens, hiſtorias autem regum ac doctorum, interdum ferè ea ſermonis ſimplicitate recito, quâ mihi ab aliĳs leni veſtigatione laceſsitis expoſitæ fuêre, ac denique nullo mentis æſtu, magnos ac nobiles Epiſcopos Danos, quorum temporibus in Eccleſias CHriſti obrepſerunt variæ ſuperſtitiones, inauſpicata quadam garrulitate perſtringo. Quod quid aliud eſſet, quàm ἐν τῷ λιμένι προσκρούειν; ſed libertate Chriſtiana, ſacrilegā pontificum Maximorum impietatem abominor, qui vt pietate cæteris omnibus, ea ætate præſtare videri volebāt: ita inſana atque ſce

lesta

leſta defectione, non modò à conſenſu veræ Eccleſiæ CHriſti: ſed ab ipſis etiam ſuperis exitiabili errore deſciuerint, immanem in principes ac doctores omnes, vel verbulo ſaltem contraeūtes, ſæuitiam ſpirantes. His vrbiū & terrarum portentoſis euaſtatoribus obſequuti tam hi quàm alij ſacri antiſtites, prudentiæ ac eruditionis commendatione ad gubernationem Eccleſiarum prouecti, nimis humiliter ſe ad pedes tyrannorum proiecerunt, quo factū eſt, vt eorum eruditio excellens & animarum cura diuinitùs imperata, continenti veluti ruina in præceps traheretur, & diuinæ atque humanæ res fœdè perturbarentur. Intemperantis itaque ingenij foret, Chriſtianoque homine protſus indignū, eos petulanti oratione inceſſere, qui ingenuo labore incōparabilem vtilitatem, tot expreſsis vitæ documentis cum honeſtiſsima auiditate & ſuis, & poſteris huius patriæ ſuæ attulerint. Bene vale optime lector & de meis ſtudijs cādidè iudicato, qui ſi hanc orationem totā percurras, inuenies nō paucas cōmonitiones diuinas, quæ vel ad conſiderationē huius fluxæ vitæ, vel ad piā ac ſalutarem informationem faciant. Haſniæ ipſo circūciſionis Dni. Anno. 1591.

Iohannes Olai Slangendorpius.

CVm Magnifici, Nobilissimi, Clarissimi, Optimique auditores & spectatores, ad doctrinâ virtuteq; praestantis & reuerendi huius viri, honoris & gradus renunciationem frequentes huc accesseritis: hocq; non vulgari officiorum genere, vos rectè pieq; de religionis Christianae doctrina eiusq; doctoribus sentire testatum faciatis, initiò vt par est atq; decet, vobis & publico & meo, huiusq; designati nomine non tantùm gratias ago maximas: sed etiam voce mea pronuncio, hoc beneuolentiae studium, colendiq; professionem nostram, exemplum, & Deo gratum esse, & Magistratui nostro, honestatem atque sanam diuinorum cultuum doctrinam amanti probari, ac singularem excitandi animos ad sacrarum lite-

literarum studia, vim atq; vsum habere. Ducam autem dicendi initium, vt pia & tam sanctis congressibus conueniens & apta consuetudo fert, à voto: & à te, æterne benigneq; DEVS & pater DOMINI nostri & seruatoris IESV CHRISTI, ardenti pectore, vera fide atq; fiducia firma precor, vt cùm tibi religionis tuæ, salutariumq; doctrinarum studia, vt authori & conseruatori eorum, magnæ sint curæ, benignos quoq; oculos ad præclaram hanc docentium & discentium coronam conuertas, eiusq; verè paternam curam suscipias, vt quam hactenus florentem, ad tui nominis gloriam & Ecclesiæ tuæ salutem, vtilitatemq; communem foueris & protexeris, ac nunc quoque ampliorem splendidioremq; operâ Sanctissimi

mi Regis Diui Friderici II, (piæ memoriæ,) principis incomparabilis reddere institueris , non desinas eius honorem & dignitatem tueri: efficereq; benigniter , vt in hoc barbarico literarum & artium liberalium contemptu , hæc crescat & sit domiciliũ, φυλακτήριον & παιδευτήριον cognitionis & verbi tui , doctrinæ, veritatis atq; iusticiæ : & in hac laudabili doctorum & scholasticorum multitudine, sacræ literæ, bonæ & ad omnem vitam vtiles & necessariæ artes, rectè fideliterq; doceantur: iuuenes sinceræ pietatis humanitatisque studiosi , felicem laborum suorum cursum teneant , & cum earum cognitione, pietatis rectarumque actionum amorem perpetuò coniungant: sintque multi qui vineæ tuæ sacræ & bene excultæ , ex qua præsens
hic

hic noster designatus prodijt, in hoc Ecclesiarum tristissimo casu, summisque persecutionibus, nulla earum deformitate, aut periculis deterriti, bonam & salutarem locent operam, donec tandem peracto praesentis Ecclesiae curriculo, ipsam totam renatam, sanctam & resuscitatam, in aeterna gaudia, & consuetudinem sanctorum hominum & angelorum tuorum recipias: in quo cùm & tuus agatur honor, & Ecclesiae salus versetur, non dubitamus haec nostra vota penetrasse coelos, & (vt quidam pius dixit) in oculis tuis scripta esse, pro quo benignae exauditionis beneficio, perpetuam nos tibi per Christũ in hac vita & futura aeternitate, celebrationem promittimus. Amen.

Postquam precationem dixi, auditores Clarissimi & Praestantissimi,

ſimi, quam in his congreßibus, & primam & præcipuam orationis partem eſſe decet: nunc cùm mihi receptus mos & officium quod gero, quædam in hoc ſacro loco, honeſtiſſimoq́ue conſeſſu dicendi neceßitatatem imponat: ego quanquam auditor & ſpectator huius publici actus eſſe mallem quàm actor, nihilominus ad dicendum in hoc venerando Theatro, me orbitas Academiæ impellit, extincto viro Reuerendo & clariß. DOMINO D. Andrea Laurentio, profeſſore primario huius Academiæ, à cuius obitu onus hoc in me recidit & incumbit. Etſi autem excuſatione inualetudinis, quâ planè fractæ & proſtratæ ſunt ingenij mei & corporis vires, iuſtè amoliri hoc onus à me poſſem, præſertim cùm non deſit

Re-

Reuerendus & clariſs. vir, Dominus D. Paulus Matthiæ, qui pro me id ſubire poſſet, & fortaſſe maiore cum fructu auditorum: tamen & eius tum candidati precibus ceſsi, motus amore Academiæ noſtræ, quam tanquã benignam pietatis fotricem ſemper & colui, & quanta potui reuerentia animi tenerrimè dilexi, & quibus deinceps poſſum officijs ornabo, & adiuuabo donec vixero aſsiduè. Itaque cùm ſciam idq́ exploratè perceptum & cognitum habeam, gratitudinis & obedientiæ laudem non minoris à vobis fieri quàm eloquentiam: mihi non dubium facit humanitas & æquitas veſtra, vos mihi anxio cordis gemitu, anhelo Spiritu, balbutiente lingua, voce tremula dicenti, de rebus pijs & loco huic aptiſsimis, ac potiſsimùm cùm iuſ-

obijt interiectis paucis diebus, nempe 30 VIIIb

ſus

sus sim, veniam daturos, & orationis huius partem aliquam sine tædio & fastidio audituros esse, quod vt faciatis consuetudo rituum talium vos hortatur, & ego à vobis idem reuerenter & officiosè peto. Dicturus autem sum, quantum in hac orationis meæ macie, & in magna morborum ac occupationum mole, temporisque angustia fieri poterit, de initijs, propagatione & fructu Religionis in his regnis, deq; regibus sub quibus vel exterminata fuit, vel feliciter successit Religionis propagatio vsq; in hæc præsentia tempora. Quod argumentum cùm vno tempore absolui non poßit, nunc saltē eius aliqua parte proposita, quæ restabunt in Schola Theologica continuabo. Itaque hæc breuiter simpliciterque præfatus, rem ipsam auspice duce

ceque

céque DOMINO nostro IESV CHRISTO aggrediemur. Vos autem omnes, vt me humaniter & placidè audiatis, & meo & publico nomine, nunc iterum atq; iterum amanter peto. Ecclesiam Christi omnibus temporibus sua habuisse incrementa, vel Augustini clarissimi Doctoris authoritate est manifestum. Scribit enim ille libro contra Cresconium tertio, Cap. 64: Non attendis, nec saltem à scientibus quæris, quàm multi ipsarum barbararũ gentium, quas commemorasti, Christi iam nomini mancipati sint, & quemadmodum in cæteras Euangelium crescendo fructificare non cesset. Deinde paulò post Cap. 65. dicit: In Christianum nomen quotidie verti totum mundum. Eadem repetit lib. 4. Cap. 61. contra eundem.

Ac

Ac his non omnino dißimilia, ſcribit & in libro de quinq; hæreſibus Cap: 7: Nonne reges terræ vides, qui antè perſequebantur Chriſtianos, nunc integros eſſe Chriſtianos? Nonne vides eos qui humiliabant Eccleſiam, humiles introire in Eccleſiam? Nonne ipſos habere defenſores, quos antea habuit perſequutores? Hæc Auguſtinus, qui docet quòd orbis terrarum, qui filijs hominum à DEO conceſſus eſt habitaculum, paßim in mundo Eccleſiæ naſcenti hoſpitia præbuerit: ſimulq; commemorat, multos paßim gentiles, variasq; nationes & regna, miris planè modis & diuina diſpenſatione ad Chriſti religionem traducta fuiſſe. Ex quibus antequam ad hanc noſtram patriam veniam, exempli gratiâ vnum aut alterum recitabo,

quod

quod spero non iniucundum fore auditoribus.

Sub imperatore Theodosio, gens Burgundionum, cùm à vicinis Hunis, ac maximè ipsorum rege SVTPHAR, crebris oppreßionibus grauißimè affligeretur, nec vllum apud mortales relictum cerneret præsidium, neceßitate cogente, de diuino auxilio quærendo cogitarent. Verùm cùm in variatione sententiarum hærerent, cuinam in tanta gentilium numinum turba, sese potißimùm addicerent, qui maximè videretur potens, propensus & beneuolus, ad eripiendos ipsos ex præsentibus calamitatibus: venit in deliberationem & Christianorum DEVS: & is sanè omnium iudicatus eſt non tantùm potentissimus, sed etiam præsentißimus in

ferendo

ferendo auxilio suis. Quare vniuerso istorum fictitiorum Deorum choro repudiato, vna mente & voce, vni & soli Christo sese totos dedidere, ipsiusque doctrinam amplexi, in eaque magno studio, à quodam Gallicano Episcopo instituti & baptizati, Christiani facti sunt. Hæc Sigebertus sub annum Theodosij imperatoris sextum, Domini verò 433. factum ponit. Et Nicephorus lib. 14. Cap. 40. vbi etiam hæc commemorat: ab eo tempore Burgundiones victores & Hunis superiores extitisse. Sic & haud ita dißimili euentu & Francorum populus, cum suo rege conuersus memoratur. Rex enim ipsorum Clodoueus, quoniam gentilitatis erroribus adhuc teneretur & Deos coleret, vxor eius Chrotylidis, mulier pia, sæpiùs ipsum regem

mari-

maritum suum cohortata est, vt relicta Ethnica vanitate, & falsorum Deorum cultu, ipsam veritatem amplecteretur, vniusq; ac veri Dei cultum sequeretur, fieretq; Christianus. Verùm etiamsi id sæpiùs faceret, frustra tamen id fuit. Cùm autem aduersus Alemannos prælio aliquando esset decertaturus, & ipsius exercitus in fugam versus, grauiter cæderetur, motus infelicitate pugnæ, cùm humano præsidio destitueretur, sublatis in cœlum oculis, diuinam quæsiuit opem, atq; his verbis precatus est: ô Domine Iesu Christe, quē vxor mea Chrotylidis colit & adorat, tuā opem deuotus efflagito. Et si mihi victoriam dederis in hoc certamine, eris tu mihi solus Deus, in te vnum credam, te vnum & solum Deum adorabo, tua sacra sequar, & in

tuo nomine baptizabor. Qua oratione vixdum recitata, statim in fugam acti sunt Alemanni, & rex victoria potitus est. Rebus igitur auxilio Christi feliciter gestis, accersito Remigio Romanorum Episcopo, non tantùm ipse baptizatur: sed etiam suo tũ exemplo, tum edicto Francorum populos ad fidem adducit, decimo quinto regni sui anno. Ad eundem modum & maiores nostri, euentu penè stupendo ad fidem Christi, à qua tamen sæpiùs defecerunt sunt conuersi: qui antea, vt & Saxones, quibus fuerant vicini, feruntur vixisse ad Platonis leges ac placita, quæ proculdubio instituta erant ab ijs, qui militatum abierant in Græciam, ex quibus aliquis præstantis ingenij, illic eadem didicit, qui reuersus in patriam, alios etiam huiusmodi docuit. Quare

ad

ad religionem, vel potiùs idololatriam eius quod attinet : quibusdam diebus, humanas hostias sacrificabant Mercurio, & illos qui mactandi erant homines, reuerebantur ceu Deos, omnesq́ certatim aliquid muneris in diuinam hostiam conferebant. Anno autem Christi 500. Suartmannus Renuldus (vt quidam volunt) Rex Daniæ potentissimus, crudeliter (vti fertur) in suos sæuijt, magnumq́ numerum Danorum proscripsit, nec paucos in Galliam, Germaniam cæterasq́ terras vendidit, qui obijt anno à nato Christo 509, cùm regnasset annos 28.

Ipsi successit Rex Tordo æquè crudelis: sub eo verò Dani ad amissam libertatem aspirantes, paulatim se in Angliam, Galliam & Germaniam ad suos, qui pridem proscripti

fuerant, ſubduxerunt, & exercitum ingentem inde adduxerunt. Sed à Tordone victi & ſuperati ſunt. Poſtea rebus non ſuccedentibus ex voto, inferioris Germaniæ oram grauiter afflixerunt: ac tandem in Galliam & Lotharingiam proruerunt, Ambianam, Atrebates, Corbriam, Cameratum, Tarmennam, fines Morinorum, Menapiorũ, Brachatenſium, omnemq́ circa Scaldum fluuium terrã, Monaſterium VValrici & Richarij ferro & igne vaſtant, & Valam fluuium ingreßi, Batuam totam & Neomagum palatium occupant. Deinde paulò pòſt Godefridus & Sigefridus Normannorum reges (Normanni enim omnes appellabantur ab his terris ſeptentrionalibus oriundi) magna multitudine peditũ & equitũ ad Moſam in loca Haslõ

con

confidentes, finitima loca populantur, & Leodiam vrbem, Traiectū castrū, & Tungrense oppidū vulcano sacrificant. Deinde in fines Repuariorum effusi, cædibus, rapinis & incēdijs omnia infestant, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Talpiacum, Villipiacum & Nuē, Pallatium Aquis, monasterium Stabulaus, Malmudanū, Indam, Prumiam in cineres redigunt: & eius regionis homines, pro defensione suorū arma capientes, more pecudum (vt in bellis fit) mactant. Hæc de primis excursionibus, horum bellicosorum hominum ideo recito, quòd multi militū ac peditum aliquid de doctrina Christi audierint: sed tamen non magno cū fructu, adeo enim obfirmati maiorum idololatria omnes fuerunt. Itaq; varias nationes iamdudum ad Christum conuersas, infensis animis impugna-

 runt,

runt, ac miris modis oppresserunt maiores nostri, & quidẽ multis annis, antequam quicquam remittere de sua idololatria & cruenta ferocia sustinerent, nimirũ vsq; ad Haraldi quarti tempora & Lodouicum Imperatorem. Etenim gliscente indies in regno hoc, seditione, Regnero rege, suo tempore acriter pro focis & aris dimicante, & Britanniam Scotiamq; armata classe pertentante, Haraldus paulò antè in exilium extrusus, à quibusdam in Regnerum conspirantibus reuocatur, & in regem Daniæ designatur, sicut subinde apud alios factum historiæ repræsentant.

Hac contumelia exasperatus Regnerus, cum classe sua regreditur, rebellium agmen elisurus in Dania: rebusq; ex voto succedentibus, Haraldum superati exercitus

tus regem in Germaniam fugabat, Regiumq́ honorem ac titulum ferè omnibus conclamatis abijcere compulit. Itaq́ Haraldus ad Lodouicum Imperatorem contendit, tum Moguntiæ agentem, armaq́ rogauit in Regnerum, vt regno restitueretur, pollicitus Imperatori gratitudinem & officia amica. Annus igitur salutis Christianæ 826 agebatur, cùm Lodouicus illi conditionem faceret, si Christianismum acciperet futurum ille vicißim quod posceret promisit. His itaq́ conditionibus propositis, extremisq́ difficultatibus vrgẽtibus, libenter annuit, dijsq́ gentium æternum dixit vale Haraldus. Cuius diuinißimum propositum, prouehendi religionem ad populares suos, pestiferum fatum atq́ inimica Danorum saluti, & capitibus insontium

infesta fortuna damnauit, & ve-
lut fulmen aliquod promouendæ
pietati, eo tempore iniecit. Nam ge-
neris humani ἀλάστωρ παμπόνηρος καὶ
παλαμναῖος, id est, improbus prorsus
& exitiosus hostis, salutem æternam
his regnis tam placidis adferri ven-
tis, & ab vniuersitatis huius Deo,
eam promoueri videns, ferre id non
potuit: & graue molestumq́; sibi esse
putauit, nisi hanc spiritualem optatis-
simamq́; cœlestem messem, cruore san-
guineo contaminaret, auerteret, atq́;
in æternum ab his regnis profliga-
ret. Etenim sicut vanissimæ suæ
superstitionis, idololatriæq́; præstigias
proculcari, dolososq́; laqueos eius, in a-
pertum protrahi & manifestò argui
atq; conuinci, & creaturam quidem
(vt antehac) ampliùs non coli, creato-
rem verò eius, sicuti conueniebat,
lau-

laudibus vehi & adorari animaduer-
tit: apertum rursus, contra salutare
initium, bellum per Regnerum mo-
uere, non posthabuit.

Regnero igitur veluti instrumen-
to, adinuentionis fraudisque suæ v-
tens, tyrannide & violentia rem in
priorem reduxit errorem & seductio-
nem, vt conditor scilicet rerum omni-
um Deus, creaturis ipsis exæquatus
& connumeratus, creatura rursus
quemadmodum antea adoraretur, cul-
tusq; diuinus adorationi illi similis
fieret. Quare iam tandem Haraldus
in Iutiam ingressus, non tam Euange-
lij semen inter eos, quos sibi paula-
tim armis subiecit, quàm baptismi
sacramentum promulgare contendit.
Sed reuerso Regnero, cùm bellum
sæuiret, cœpta religio, tunc tempo-
ris ab his regnis exturbata est, &

magna cum iactura ſalutis æternæ, miſerè exulabat fides in Chriſtum. Quare & duplici ſe malo Rex victor inuoluit, quòd non tantùm ſalutiferam Chriſti religionem abigeret, ſuperſtitioſamq́; erroris ſectam renouaret: verumetiam atrociſsimè Chriſtianos vel ſaltem de nomine CHriſti ſuſpectos perſequeretur, conuictosq́; non tam trucidaret, quàm exquiſitiſsimis ſupplicijs in fideles ſæuiret, omnibus more pecudum obtruncatis: quanquam & quoſdam ſeruaret, non vt eis parceret, ſed ad ludibrium, ſed ad lanienam crudeliſsimam, ſed deniq́; ad ſitientiſsimam rabiem explendam, nimirum vt cute capitis in modum crucis inciſa, ferro ſingulis cerebrum aperiretur, ac deinde ligatis poſt terga manibus, per plateas ac vicos trahe-

rentur,

rentur, aut verbere aut alijs modis vexati, donec deficerent, ac Angelis & hominibus spectaculum facti spiritum exhalarent. Itaq́ dũ Regnerus religionem Christi profligauit, simul bonas leges sustulit, ac omnium hominũ ordines confudit, quicquid pietatis, quicquid dignitatis, quicquid honestatis sit, vitæ instituta, mores, fidem omnem, honesti partes, rectam disciplinam, quæ omnia cum ipsa religione cœlitùs adferuntur, perdere ac confundere studuit, dum ipsam religionem, quæ horum omnium fundamentum est, ita penitùs à nostra patria extirpauit. Nostram igitur nos ingratitudinem, nostram impietatẽ hîc accusabimus, si fides, si religio Christiana pessũ eat, quam fidẽ certissimis signis exploratam habemus verã & indubitatam, ac Christum DOMI-

num

NVM nostrum, cuius nomen profitemur, colimus, veneramur, verum esse & vnicum Deum, omnium patrem, creatorem, rectorem, cuius nutu cuncta regantur: & Tyrannorum omnium violenta imperia statim cõcidant, & vires quantæcunq; sint corruant, & momento collabantur necesse est. Sicuti hic Regnerus, qui abolita religione Christi, idola restituerat, graues pœnas Deo persoluit. Nam ab Hella quodam, in carcerem coniectus est, ibidemq; à serpentibus diu excruciatus peryt. Ita frustratus est se Regnerus, dum patriæ suæ felicitatẽ cœlestium iudicio destinatam, humanis consilijs impedire conatur. Sicq; humana cõsilia castigantur, vbi se cœlestibus præferunt. Hunc igitur Deũ, si nos nefariæ vitæ crimine insolẽter negligimus, ingratitudine offẽdimus,

secu-

securitate & peccandi licentia irrita-
mus: non modò Dei verbum, quod
summum est nostrum præsidium, a-
mittemus: sed penitùs â Deo excisi,
cumulabimus nobis pœnas, quas lue-
mus æternas. Nos igitur audientes,
tam funesta huius nostræ patriæ pro
religione, initia, non in tam clara E-
uangelij luce ad Dei verbum, ac E-
uangelij præcones, aures impiè obture-
mus vt aspis, sed audiamus parati &
seriò flectamur ad pœnitentiam. Est
enim mos obstinatorum, hîc, sanctos
Dei aspernari nuncios: vt Sedechias
cæteriq́ in Babylonem traducti, Hie-
remiam, direptionem, captiuitatemq́
Hierosolymorum prædicentem, con-
tempserunt. Certè hactenus stetisset
Ilion, si Cassandram Priamus pater
audiuisset, si Prophetas, Hebræi,
si Christum & Apostolos, Iudæi,
si

si Sibyllam Romani, si Haraldum deniq; impius ac incredulus Regne-rus non reiecisset, certè non tot mise-rijs ac malis se & alios inuoluisset.

Atque hæc fuerunt initia Re-ligionis nostræ castæ & sanctæ, cuius characterem initiò Cimbri sumpserunt ab Haraldo, quæq; non superstitionem habet vt iudaica, non aniles fabulas vt gentilis, non turpitudinem vt Mahometana: sed ad iusticiam nos impellit, ad fortitu-dinem, ad modestiam: pudorem no-bis proponit, pudicitiam, fidem, constantiam, honestatem. Contrà verò petulantiam vitare, stuprum, fraudationem, scelus, furorem, tur-pitudinem, libidinem, iniquitatem, luxuriam, ignauiam, nos admonet præceptis & institutis saluberrimis. Etsi autem quidam hanc patriæ

nostræ

nostræ conuersionem, & illa fidei initia temporibus Caroli Magni adscribant, ac potissimùm, Haraldũ sacro fonte cum suis susceptum fuisse eo anno Caroli velint, quo Hirene pijssima, vnà cum Constantino gloriosè diuinitùs imperium orientale accepit, quoq; anno cùm Constantinus decem esset annorum, homo quidam in longis Thraciæ muris fodiens, inuenit arcam lapideam, quam cùm expurgasset, reperit virum in ea iacentem, & literas arte conglutinatas cõtinentes hæc: Christus nascetur ex Maria virgine, & credo in eum. Sub Constantino verò & Hirene Imperatoribus, ô Sol iterum me videbis &c. Verisimiliùs tamen est hæc sub Lodouico euenisse. Profugit enim Haraldus, etiam Saxonis nostri testimonio, ad Lodouicum, & Moguntiæ bapti-

zatus

zatus est anno, vt diximus Christi 826, quo tempore iam Carolus Magnus, ante annos duodecim excessit è vita. Ac certè Carolus proauo Regneri Gotrico, quem alij Godefridum nominant, anno salutis 810, vt certa ratio supputat, acies opponendas comparauit, & anno pòst quarto, concessit in fata Carolus: succedente Lodouico tā in hæreditate paterna, quàm Romano imperio. Post Gotricum autem, in Dania aliquot annis regnauit filius Olaus: quo vita functo, successit Hemmingus, qui cum Lodouico pepigit. Huic verò successit Siuardus, nepos ex filia, & huic puer Regnerus subrogatur, iam in eam perductus ætatem, vt filios genuerit &c.

Prætereo mendacium Episcoporum Treuirensium, quorum catalogus impudenter mentitur, Daniam

con-

conuersam per Popponem quendam, Episcopum Treuirensem, Antichristi Dromonem insignem. Sed de Poppone postea quis fuerit, & vbi Episcopus, clariùs dicetur.

Cæterùm, de his initijs & temporum ratione, non magnopere contendam: quin potiùs pertinaciam veterum regum in sua Idololatria, & singularem Dei curam pro suis conuertendis ab erroribus ad virtutem cœlestem, amplificandam & decantandam hoc loco censeo. Certissimum tamẽ est Carolum Magnum & Gotricum, proauum Regneri, fuisse contemporaneos, & Gotricum non quieuisse à persequutione eorum, qui per Carolum subiecti & ad Christum conuersi essent. Egit enim Carolus nutricium & patronum Ecclesiarum in occidente singularem,

& quantum in ipſo fuit, gentium furores paßim cohercuit: atq; ad propagationem verbi Epiſcopatus & cœnobia (quæ ſcholæ tum erant) inſtituit. Multis ergo in locis ſub ipſius imperio, Eccleſia pacem habuit: ſed tamen non vbiq;. Nam hoc tempore Gotricus horum regnorum princeps, acerrimus fuit Chriſtianæ fidei perſequutor, quare & conatus eſt omnibus viribus ſuis, Saxones qui fidem Chriſti receperant, aſtutiâ, minis & crudelitate ſua, iterum inde abſterrere: ac ſubinde potentiores qui à vera pietate alieni erant, concitauit ad affligendum eos, qui plantabant Eccleſias, & ad opprimendum magiſtratus à Carolo inſtitutos. Sed virtute & bonitate Dei rex iſte fractus, pacis tandem fœdus cum Carolo inijt, anno Domini

811. Cui

811. Cui hoc beneficium, quòd Christum nosce cœpit, tota Germania acceptum referre debet, cuius etsi alia permulta & præclara merita sint, non solùm quæ Saxonicis ciuitatibus: sed etiam toti imperio contulit, quorum memoriam nulla delere potuerit obliuio: tamen huius beneficij magnitudo, reliqua omnia obscurare videtur. Nam ea demum vera & summa laus est boni ac salutaris principis, dare operam, vt in Ecclesijs rectè institutis, doceatur verbum Dei: tollantur impij cultus & ceremoniæ, & rectè inuocetur Deus, ac sanciatur disciplina, vt mores populi sint conformes Euangelio. Et cùm ad hunc finem, præcipuè conditum & societate ciuili deuinctum sit genus humanum, nempe vt celebret & glorificet Deum: debent ij qui ad gu-

bernacula sedent, suum etiam munus intelligere, & gloriæ DEI seruire. Quare inter præcipuos reges, Carolus magnus numerandus est, qui cùm se regia dignitate excellere meminisset, verè regia munera obijt, ac non ambitionis & dilatandi imperij sui causâ, vt multi alij: sed religionis Christianæ propagandæ, & regni Christi fines extendendi gratiâ, arma sumpsit. Et quoniam iudicauit optimus & sapientiß. princeps, religionem christianam sine scholis & Ecclesiæ doctoribus, diu integram conseruari non posse: ideo non solùm præclarißima totius orbis terrarum gymnasia, vt Parisiense, Bononiẽse, Papiense instituit: sed paßim in Saxonia, Ecclesijs pastores præfecit, quibus cùm mãdata esset inspectio ꝑpriarum & vicinarum Ecclesiarum,

& cu-

& cura docendi & proferendi in alias nationes Euangelij, rectè appellabantur Episcopi, nō titulo tantùm, vt nunc maxima pars toto orbe terrarum (ac multi Epicurei tantùm sunt, non Episcopi, de quibus Ambrosius: nomen inane in Episcopo, crimen immane) sed reipsa & functione omnium laboriosissima, & doctrina ac pietate cæteris antecellentes. Fungebantur tunc Episcopi munere docendi, & incumbebat ipsis inspectio vicinorum Ecclesiarum, quibus idoneos pastores præficiebant, ac mores eorum regebant. Erant præterea cœtus docentium & discentium, adiuncti Ecclesijs, vt ex ijs postea adhiberentur ad gubernationem Ecclesiæ, viri boni & eruditi, qui doctrinam Ecclesiasticam à maioribus acceperant, & testimonia vitæ, morum ac doctrinæ habebant.

Hoc consilio paßim in Saxonicis Ecclesijs Episcopos, & collegia studiorum causâ constituit, & reditus certos Ecclesijs attribuit, vnde & doctores & auditores alerentur, & ipsi ad inspectionem Ecclesiarum, & ad exercenda iudicia Ecclesiastica, vt omnis gubernatio sumptuosa est, mediocribus facultatibus instructi essent. Sic & Carolus autor fuit Collegij Osnaburgensis, ac aßignauit studiosis & doctoribus, qui ibi alerentur reditus quosdam & syluas, non voluptatum, aut turpis ocij vel venationis causâ, sed vt studijs commodiùs vacare possent. Longior autē est historia Caroli, quàm vt hîc recitari queat. Hæc tantùm obiter commemoranda putaui, vt animaduerteretur, quæ scaturigines fuerint & incremēta religionis Christianæ in Saxonia,

onia,

onia, tū quomodo religio semel exturbata Satanæ artificio inde in hæc regna dimanauit. Successit iam aliud tempus, quo vt alijs seculis superioribus, Dominus noster IESVS Christus, subinde alias atque alias nationes & gentes, luce Euangelij illustrauit: ita nec hoc tempore ociosus in regni sui propagatione fuit. Et quamuis iusto suo iudicio, ob veritatis suæ contemptum & piorum persequutionem, improbitatem ac hypocrisin multorum, regnum suum à multis abstulit, præsertim Ægyptum, Africam & Asiam incolentibus: tamen nouos conuiuas ex his regionibus septentrionalibus ad nuptias suas, missis legatis vocauit, & venire quasi compulit. Vnde & fasciculus temporum eleganter inquit: fides proficit & deficit, pro di-

 uersitate

uersitate locorum & temporum. Iam Ægyptus & Africa à Saracenis vastatæ sunt, & ecce quasi fides volasset, ad populum paganum peruenit. Cogor nunc auditores clarißimi, repetere quodammodo quæ superiùs sunt dicta de Haraldo, vt iuniores ex historijs sciant atque intelligant, qui fuerint primi in his regnis VIltrionalibus doctores. Nam sicut statim post tempora Apostolorum, Euangelium Christi in Germania doceri cœpit., per quosdam celebres doctores, Apostolorum auditores & discipulos: vt Lucium Cyrenæum ad Danubium, in Augusta Tyberina, quæ nunc est Ratisbona, Crescentem Moguntiæ, Clementem Meti, Trophimum Arelati, & Marcum Pauli discipulum Patauij ad Danubium, Maternum Petri

tri discipulum Argentinæ docuisse Euangelium, & miraculis clarum fuisse, memoriæ proditum est: vnde paulatim etiam in alias vicinas nationes, cœlestis doctrina propagata est &c. Ita & in hac vltima ora, versus mare Balthicum, sui fuêre Doctores, viri pij & præstantes: quos vt cognoscamus, pauca de Haraldo repetam. Certum sanè est, non parum fidei apud suos illum sibi comparare, qui & Deum immortalem esse, & omnia posse existimat: putatq; quicquid humanum genus prouidum, acutum, in se præclarum & excelsum habet, nō propria industriâ & sagacitate: sed diuini numinis gratiâ obtinere. Hoc cogitans Haraldus, vt vnus Deus ex instituto Christianæ religionis, in his regnis Vltrionalibus piè sanctéq; coleretur

 & ado-

& adoraretur, summis etiam nisibus contendebat: Christi fide primus regum VVltrionalium imbutus, & à Rabano baptizatus, cùm iam redire in patriam, auxilio fretus Cæsareo decreuisset. Qui efflagitabat vt Ecclesiastis vnà missis, populus quoq; ad Christi religionem imbueretur. Circumspexit Imperator, quem tanto parem operi mitteret, lucrandis Christo animabus. Sed tum multis compertum erat Diui Ansgarij Corbeæ monachi, & inter alios viri doctissimi, feruens pro Christo desiderium, sed interpellare eum desuper nemo præsumpsit: terrificum enim videbatur gentem, multis ac præclaris stragibus & facinoribus insignem, noua prædicatione adoriri. Ita cunctis mussitantibus, Ansgarius cùm se domino precibus

com-

commendasset, haud aliter ac olim Propheta, obuium se ferebat quærentibus concionatorem: Ecce inquit ego, mittite me. Cum Haraldo igitur profectus est Ansgarius, cui se socium adiunxit Gaudbertus, peregrinari pro CHristo & ipse percupiens. Profecti itaque sunt cum manu militari, quam Regi Haraldo Imperator adiunxit. Ac postquam Haraldus secundò in Iutiam peruenisset, & cum suis tractasset de gerendi belli ratione, Ansgarius cum consorte ad intima regni penetrauit, verbum vitæ annuncians. Prosperatum est opus in manibus eorum, multiplicante Christo semina bonarum frugum, cùm plurima plebs Domino per illos credidisset. Sed iterum Haraldus armis extruditur: nec

tamen

tamen ea res terruit diuini verbi ministros. Peruicerunt enim & orando & prædicando, vt multus vbique populus Christo subderetur: ac tandem penetrarunt vsque in Sueciam, & in oppido Byrca, præfectum ipsum Christo conciliabant, multamque sub eo plebem & in fide erudiebant, & sacro fonte perfuderunt. Interea autem Haraldus, expertam aliquoties prælio fortunam, iam ab Imperatore roboratus retentabat: sed idem erat exitus qui priùs. Fugatus enim & acie victus, abceßit in Phrisiam, & parte quadam à Francis occupata de Phrisia donatur. Hæc Sigebertus, Scotus, Crantzius, Ganguinus & alij.

Quare & secundò, tam salutaria Religionis incrementa adhuc prorsus impediuit Satan: opponens

enim

enim se tam salubribus institutis, tantas excitauit in regno procellas, vt publica prædicatio locum non haberet. Ex quo perspicuè cernitur, non semper verum esse, quod affirmauit Aristoteles: nimirum minùs reformidare homines, quem religioni & pietati deditum viderint, minusq́ contra illum seditiosi audebunt, quem dijs amicum perspexerint. Nam & experientia contrarium condocefacit, tum euentus Haraldi ostendit, sua ætate, nullum fuisse vinculum in nostratibus pietatis, sed titubasse omniaq́ soluta fuisse. Cæterùm Lodouicus in Synodo Aquisgranensi, de Danorum & Suecorum conuersione, cum patribus consilia captauit. Ac postea Ansgarium ad se reuocatum, Episcopum Hamburgensem constituit, eiq́ præ-

cepit

cepit, vt iterum ad vicinos Danos & Suecos, Christi religionem propagaret. Quo tempore maximis doctorum laboribus desudatum fuit, de conuersione nostrorum maiorum: & ob inueteratam idololatriæ consuetudinem & bellorum motus, res successit tardiùs. Consueuêre enim gentes hæ ab aliquot iam seculis, grauissimas in proximos & longinquos facere excursiones, ac sanè bellis & victorijs Dani vbiq; terrarum clarissimi, multas nationes eorum vis territabat. Tempore autem Erici Regis Haraldi fratris, post mortẽ Ludouici Imperatoris, facta est etiam Danorũ excursio in Gallias, cùm filij Lodouici de ditionibus digladiarentur. Itáque facta valida in diuersum excursione, per Rhenum ascendentes Agrippinam Coloniam, per Albim

verò

verò Hamburgum vastauerunt. Sed paulò post Ansgarius ex incendio Hamburgensi ferè nudus elapsus, non immemor officij diuini & occasionis, in Daniam festinauit, vbi Regem Danorum Ericum inueniens, christianum reddidit: ac Ecclesiam in portu maritimo apud Slesuigã erexit ad lacum Sliam. Deinde data per Regem licentia, vt quisquis vellet in regno suo fieret Christianus, infinita gentilium credidit multitudo: de qua plures vt genibus innixi, aqua baptismatis loti sunt: sic quoque morbis ad desperationem medicorum laborantes, ab omni etiam eorum infirmitate liberati scribuntur.

In hac itaque legatione, Diuus Ansgarius non tantùm Regem Ericum, iam rebus in Dania

potitum

potitum, ex persequutore Christianorum, fidelem facit, vt non modò permitteret: verumetiam præciperet quoque idola deserenda, & Christi sinceram fidem excolendam. O bonitatem Dei, ô ineffabilem patris cœlestis φιλανθρωπίαν. Ac Ansgarius, legatus borealium regionum, tantum familiaritatis apud regem, eundo & redeundo meruerat, vt inter amicos ascriptus, intimi regni consilijs adhiberetur. Quare & hic Athleta Christi intrepidus, Erici Regis rogauit epistolas: ac cùm in Dania fundamentum quoddam iecisset ad plantationem, literis & Legatis Erici Regis Danorum, ad Olaum, nauibus in Sueciam tendit: & in Byrca ciuitate, vbi priùs disseminauerat verbum, à pijs excipitur, Olaum conuersum baptizat: ac impetrat

petrat

petrat licentiam docendi Euangelium eos, qui cupiant audire & suscipere: eaq; occasione plurimos ad cognitionem CHristi in Suecia adducit. Ecclesijs Episcopos & presbyteros passim ordinat, eosq; ad constantiam in fide cohortatus, tandem ad suam Ecclesiam redit. Cæterùm, quia Idololatria Ethnica tam altas in hoc regno radices, in magnatum animis egerat, vt multi prorsus immobiles quasi in ea perseuerarent: cùm adhuc viueret Ansgarius, tum promiscuum Daniæ populum, licentia bellica efferatum, facilè quo vellent impellere possent, Dani iterum per Ligerim vecti, Turones succenderunt, & per Sequanam parisios obsederunt. Carolum verò Regem, is erat Caluus, Ludouici Imperatoris filius, timore territum, terram eis

ad inhabitandum dare compulerunt. Deinde Lotharingia vastata, & Phrisia subacta, in natale solum redeuntes, cõuersi sunt victrici dextera in propria viscera. Nam Hadingus & Ericus iunior, de regno sunt digladiati, tantaq; cæde absumpti, vt vulgus omne militũ caderet: de stirpe autem regia, nemo omnium remaneret præter Ericum iuniorem, qui mox vt regnum hoc suscepit, ingenito furore super CHristianos efferatus, Sacerdotes Dei expulit, & Ecclesias claudi præcepit. *Ad* quem etiam S. *Ansgarius*, venire non trepidans, cùm ei memoriam patrui Erici prædecessoris replicaret: euestigiò Ericum sic pacatum & placatum reddidit, vt CHristianam religionem ipse susciperet, suisq; omnibus vt Christiani fierent, per edictum mandaret: insuper

in

in alio portu regni sui, apud Ripenses nimirum Ecclesiam exstrueret, in Dania secundam. Nam prima, vt diximus, erat ad lacum Sliam: eamque Remberto presbytero commendauit. Ericus filium Canutum ex Guthormi filia, eademque Haraldi nepte progenitum, superstitem, diutina vi morbi consumptus reliquit: qui, vt Saxo Sielādus infit, ex penè desperato adolescente, autor insperatæ probitatis euasit: hoc vno deflendus, quòd absq; Christianæ Religionis insignijs, è vita ad mortem transitum habuit. Qua ex re, iterum coniectare licet, fidem in CHristum, vel ex aula Regis prorsus fuisse extirpatam, vel apud paucos priuatim tantùm resedisse. Cæterùm Canutus filium reliquit Frothonem, qui designatus Danorum Rex, in Britanniam irruit,

ruit, recuperaturus maiorum ſuorum ditionem, hoc commodi inde & ipſe recipiens, vt â CHriſtianis, quos ſubegit, & ipſe Chriſtum agnoſcere diſceret, & ſigillo gratiæ deſignatus, in eius caſtra & fidem ſeſe conferret. Deinde Gurundus ſeu Gormo Frothonis filius, teſte Vicentio lib. 24. Cap. 40. & VVilhelmo lib. 2. cap. 14. de Anglis: à rege Elfredo cæſus & captus, cum triginta proceribus & maxima turba ſatellitum baptizatur, ac ſortitur prouincias orientalium Anglorum & Northumbrorum. Hunc ſequitur Haraldus, qui vtrum pietati vel gentilitati ſe addixit, prorſus eſt obſcurum.

SEd nunc veniam ad Gormonem ſenem, cuius principatus durauit

uit per Henrici tempora: quo demortuo Marchionem Dani oppresserunt, Saxones fugarunt, vnde natum est bellum Ottoni Henrici filio. Huius regis impietas & insita malitia, nulla ratione ab insidijs Satanæ, ouilla pelle contecti abduci potuit. Quare antequam de ipso Rege agam, quò clariùs luculentiusque seductoris Satanæ imposturas demonstrem, visum est imaginem quandam eius, ad viuũ expressam, in Apologo quodam ostendere, festiuiore fortaßis quàm pro grauitate huius argumenti, sed qui tamen lucis aliquid his quæ dicturus sum, sit allaturus. Neq; verò sine exemplo, eodemque magnis laudibus celebrato, hoc fecero: cum apud T. Liuium legamus Menenium Agrippam, in sua causa simili Apologo vsum, idque illi

tam ceßiſſe feliciter, vt dignum habitum ſit, quod æternis annalium hiſtoriarumq́; monumentis commendatum, ad omnem poſteritatem mitteretur. Noſter Apologus ex illis Æſopicis deſumptus, ita habet: Ouis cùm in puerperio eſſet, vt ſibi nec per religionem liceret, nec per infirmitatẽ ex recenti partu, liberum aut tutum eſſet prodire in publicum, neq́; domi ſatis haberet pabuli, pro ſe filijsque ſuis. Vnum qui iã eſſet adultior, quippe anniculus, vt ſeipſum foris in agro aut ſylua paſcere poſſet, ſi haberet, qui ſe cuſtodiret defenderetque à lupo, permiſit, eumq́; commendauit hirco, vt is illum ſecum educeret paſtum, & à feris, ſi quam hæ machinarentur vim, defenderet: filio autem agno mandauit, vt ne latum quidem vnguem ab hirci latere diſcederet, &

quibus-

quibuscunq; etiam oblatis occasionibus, aut conditionibus propositis: vterq; mandatū recipit, egrediuntur, pariter in syluam perueniunt, florentem hic Cythisum, salices petit ille amaras: vt sic suauiter sese reficiant. Ita pascentes prospicit à suo latibulo lupus. Et erat illi quidem iam certißima præda agnus, sed reformidat hircum: hunc enim videt hirsuto & hispido corpore, horrida barba, & minacibus cornibus valdè formidabilem. Cùm itaque nihil auderet attentare vi, dolis rem agere instituit, aggreditur agnum his verbis: Hei tu infelix, quis te tam tenerum, atque tot naturæ ingenijque tui gratijs tam amabilem, coniunxit isti deformi, fœtido, teterrimoque hirco? Quin tu isto tali hîc in sylua relicto, redis domum ad

matrem, quæ te iamdudum dulci lacte distento vbere expectat? Ast ille memor mandati materni, respondet lupo: Mater mea, ô lupe, huic me commendauit, huic mei seruandi curam iniunxit: mihi verò præcepit, ne vel tantillum ab eo discedam: matris præcepto meliùs est me obtemperare, quàm subdolis tuis blanditijs fidem habere? Intelligo quid tu captes, nimirum vt me ab hoc meo custode abductum, tuo isto rapaci rictu cōprehensum, & sanguinarijs dentibus discerptum deuores &c.

VTinam, viri fratres, nos omnes ad illius agni exemplum saperemus. Nam prorsus ad eundem modum sanguinarius ille lupus, aduersarius noster Diabolus, nobis insidiatur: omnes dolos suos, omnes artes, quibus

quibus mille ad nocendum instructus est, ad hoc expedit, vt nos à salutaribus doctoribus, quibus à Deo cura nostri est commendata, abducat, & in suam potestatem pellectos, sua illa inexplebili voracitate deglutiat. Adhoc, iuxta rationem nominis, calumniarum genus nullum omittit, omnia Dei ministrorum dicta factáque obseruans, vt si quid inueniat quod reprehendere queat, quemadmodum lupus iste grauitatem odoris, & pilorum horrorem in hirco, id tanta cum atrocitate exaggeret atq; amplificet, plurima interim admentiendo (ab initio enim mendax est, atq; ipsius mendacij pater) vt imprudentibus facilè persuadeat, vt à talibus deficientes, se suosq; pseudoprophetas, quibus ad hoc persuadendum abutitur, sequamur. Neq; verò singulis dun-

taxat agnis de CHristi ouili sic insidiatur, sed gregibus vniuersis, & præcipuè ducibus gregum arietibus. Hos arietes, hoc est, Imperatores, principes, reges, dynastas, singularibus quibusdam artibus, insidijs ac dolis captat: sic enim circumueniendos esse nouit. Nam alioquin si deprehendant insidias, statim in insidiantem conuersi, cornu ferunt & ipsi: quiq; si palàm deprehenderint impiorum doctorum insidias & seditiosos conatus, facerent quod Vlysses fecit in coërcendo seditioso Thersite: qui cùm multitudinem ad seditionem commouisset, Vlysses hanc quidem, verbis & verberibus in ordinem & officium redegit: Thersiten vero seditionis authorem, admonitionibus non acquiescentem, sed in omnes principes, maximè verò in Regem Agamemnonem di-

cterijs & conuicijs contumeliosum, ita
tanq̃ generosus aries cornu suo percus-
sit, hoc est, sceptro pulsauit, vt totum
vibicibus, tuberibus & sanguine ma-
nantibus plagis oppleret. Hæc consi-
deranda sunt omnibus illis, qui ex-
istimant commendationem religionis
rem esse ridiculam, & sanctiones atq;
oracula diuina, quæ seriò ad fidem &
reuerentiã cœlestis numinis exhortan-
tur, æternæq; vitæ studium mortalibus
commendant, haud aliter ac tenebrarũ
somnijq; nube inuoluta phantasmata
reputant. Verùm res ipsa satis superq;
docet, non bella cruenta, non incen-
dia, non naufragia, non pestes, non
famem deniq; esse tantas Dei pœnas,
quanta est verbi diuini iactura, vel
eius corruptela, quia hæc pœna corpus
& animam simul attingit, atq; exiti-
um non modò temporale, verùm æ-
ternum

ternum quoque abducit. Ac Esaias inquit, homines absq; clara verbi diuini, luce, esse populum sedentem in regione & caligine mortis. Quid tristius dici potest? Naturalis illa nox quæ ex vmbra terræ nascitur, sole alteram mundi partem ambiente, etsi aliquid terroris inijcit: tamen habet aliquid vtilitatis, quòd somno salutari & quieti animalium seruit. Deinde suas habet statas horas, pro diuerso mundi situ, atque certò exspectatur dies, quem exorientem, auiculæ suis dulcissimis cantiunculis, leo suo forti rugitu excipit. At caligo doctrinæ cœlestis nihil prorsus habet commodi: imò non somnum, sed ipsam mortem conciliat atq; adfert. Mortis autem nomine, scriptura S. non modò, illam extremam in hoc mundo resolutionem hominis designat,

nat,

nat, qua anima à corpore, horribili sanè aspectu diuellitur: sed complectitur mala omnium grauissima, quæ partim viuentes homines tenent, partim verò ipsius vitæ finem subsequentur: nempe tenebras mentis de rebus diuinis, ignorationem veræ essentiæ & voluntatis diuinæ, vacare metu, fide, dilectione Dei, esse absque omni vera pœnitentia, absq; consolatione cordis quando peccata euigilant, absq; spiritu S, erroribus esse fascinatum, esse mancipium & sedem impuri spiritus. Ista quidem non cernuntur oculis corporeis, ab hominibus ætate, dignitate, potentia florentibus in hoc mundo: sed verbum Dei hanc spiritualem mortem declarat. Postea verò comitatur mors secunda, vt Iohannes eam vocat, hoc est, abiectio, condemna-

tio, pœnæ corporis & animæ, quæ nullum vnquam finem consequentur.

HÆc omnia hoc loco repetere volui, vt intelligamus miserias, quæ patriam nostram in prima plantatione cœlestis doctrinæ occuparunt, exuperasse omnem facundiam, ac reges illos fuisse quasi cœlesti doctrinæ violentos, nec bona illa quæ secum adfert æternum DEI verbum, vllo modo illos homines considerasse. Deinde ex tota hac narratione perspicuè elucet, quam diuersa sint hominum studia variaq; ingenia. Quòd misso æternæ vitæ studio, ad inanes curas & cogitationes se conferant. Hunc enim videmus pecunijs & opibus studere, illum ambitioni & potentiæ, alium voluptates, omni studio & diligentia conquisitas amplecti. Horum

studia

ſtudia quam ſint inania, declarant non modò, multorum triſtiſsimi euentus in hac narratione: verumetiam ſaluatoris noſtri doctrina & vita, quâ certe cohortamur, admonemur, cogimur, caduca illa ac fragilia, vt falſa bona & nuſquam conſiſtentia contemnere. Religionem verò, pietatem, humanitatem, gratiam, hoſpitalitatem, miſericordiam, æternumq́ Dei filium Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, vt vnicum & verum bonum amplecti &c. Itaq́ nunc ad Gormonem redeo, qui horrenda idololatria contaminatus, ſemper infenſum erga religionem animũ gerens: Chriſtianorũ in his regionibus & alibi, perinde ac teterrimorum hominum reſpectum extinguere cupiens: miniſtros verbi perſecutus eſt, plures & domo & patria

pul-

ſos aut relegatione aut carcere ad mortem vsq́ macerabat, aut ſuſpenſos tanquam porcos, membratim lacerans diſsipabat, aut vario deniq́ iniuriarum genere fatigatos, quibus potuit calumnijs inſequi nunquam quieuit. Quinetiam vt priſcum delubris cultum reſtitueret, templum in fundo Sleſuicenſi ab Ansgario extructum ceu ſacrilegum aliquod impietatis domicilium, ab imis fundamentorum partibus demolitus eſt, vt quos ſupplicijs non attigerat, ſacratioris cellæ ruina puniret.

SEd filiam Edelradi Anglorum Regis, puellam ſingularì prudentia, & religionis CHriſtianæ amantiſsimam, accepit vxorem Gormo. Cumq́ue ſuo captum amore maritum, prudens puella perſentiret, o-

rabat

rabat quàm instantissimè, ne se contingeret triduano spacio. Hoc sanè studium Thiræ reginæ dignum est commendatione: Distendere enim voluit amantis animum, vt per impatientiam expectationis, aliquid ei de Christi religione suggereret. Sed dura atq; aspera conditio Christianæ feminæ fuit, quæ tantæ erat communitatis & patientiæ, vt in obsequio perfidi & crudelissimi mariti consenesceret. Ac quanquam illum nec exemplo religionis, nec illecebris suasionis ad CHristi cultum, fidem & æternam beatitudinem, prouocare potuerit: tamen constantissimæ fidei animū, in hoc tam prauo mariti proposito retinuit. Vnde discimus nulla læta aut prospera negocia, sine diuina suffragatione foueri, adeò verum est, conuerte nos Domine & conuer-

temur. Et nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborant qui ædificant eã. Itẽ, Paulus plantauit, Apollo rigauit, sed solus Dominus dat incrementum. Etsi autem pijssima Regina, Regem Gormonem nulla ratione, pro ingenita flectere potuit feritate ad pietatem, conatus tamen non prorsus erant irriti. Non enim sine fructu aliquo, vnquam spargitur cœleste semen, sicut Esaias clarè inquit: Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam & germinare eam facit, & dat semen serenti & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunq; volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Quare per Henricum I,

qui

qui primus inter Saxones coronam Imperij meruit, Rege aliquo modo ab vsitata ferocia reuocato, vt si ipse non vellet, liberum faceret in regno Christianam religionem seruari, sineretq; verbum vitæ disseminari inter incolas sui regni: & præueniente misericordia Dei, & diuina operante virtute, datam occasionem non est passa diuina clementia inanem præterire. Sed venerabilis Vnni (quem alij Vnnonem vocant: Trittenhemius Vinonem) Archiepiscopus Hamburgensis, animaduertens ipsi CHristo nunc portam aperiri, mox accinctus itineri, cum aliquot fidelibus socijs & synergis, ipsemet in Daniam sese clandestina fuga confert, ibique docendo & instituendo, multos homines ad fidem in CHristum reducit: ipsum tamen Gormonem

regem nullis institutionibus aut adhortationibus, ad homagium Christo præstandum flectere potuit. Verùm Heroldum (alij Haraldum scribunt) eius filium, adiuuante matre Thira, femina selectißima & pijßima, quamuis diu reluctantem Christiana pietate imbuit: quiq; patris austeritate motus, baptismum sui diu differre cogitur: Regisq; conceßione, Archiepiscopus Vnni, in magnam dilatandi & proferendi imperij Christi spem veniens, insulas maris paßim visitat, atq; in eis CHristo Ecclesiam suam, ministerio verbi cœlestis colligit. Hisce rebus confectis, sacerdotes idoneos conuersis Ecclesijs præponit, atque Haraldo curam Ecclesiarum commendat.

Hac peregrinatione peracta, Vnni Archiepiscopus vlterius sibi

pro-

progrediendum esse putauit, ad exemplum Ansgarij. Naui igitur conscensa, mare Balthicum ingreditur, atq; magnis tempestatum procellis, ad Byrcam ciuitatem, proxime littus maris sitam, vbi Dani, Nortuegi, Sclaui, Sembores, Scythæ, sua habebant commercia, defertur. In eum quidem locum, intra annos 70, præter Reimbertum, nemo Episcoporum venerat, ac religio Christiana immanitate regum cæterisq; persecutionibus, penitus ibi extincta fuerat. Hic igitur Archiepiscopus Vnni, Suecos & Gothos de religione Christiana, iterum summa qua potest fide & integritate instituit, ac Deo cooperante, frequentem Christo Ecclesiam, in vlterioribus quoq; locis Sueciæ lucrifecit: ac tandem cursu absoluto, Byrcæ ex hac mortali vita emi-

grat Vnni, Anno Domini 936.

SEd interim regnis iam morte Regũ Hērici & Gormonis alteratis, nunc iterum Daniæ populo antiquus draco diabolus, nauſeam cœleſtis doctrinæ immiſit: ac vt Henrici & Epiſcopi diſciplinam Chriſtianam prorſus abiuraret, perfecit. Igitur congreſsi populi, præſidem ſuũ oppreſsêre, ac proculdubio Haraldum nondum baptizatum, in huius tyrannidis & crudelitatis conſenſionem pertraxêre. Quæ res Ottoni magno, filio Henrici occaſionem præbuit, vt exercitum conflaret, illatam patri contumeliam, & alia quædam quæ nobis reticenda ſunt, vindicaturus: quem in Iutiam duxit, ac multa ibi loca vaſtauit. Cui tandem occurrit Haraldus, ac collatis ſignis, diu pertinaci acrique feruore præliatum

est.

eſt. Poſt primam autem coitionē, quæ incredibili animorum perſeuerentia digeſta eſt, viſum eſt vtriq; regum, de rerum ſumma conferre colloquium. Igitur poſt longa vtrinq; verborum certamina, in eas tandem eſt conditiones itum, vt Haraldus cum Suenone filio, caſtra Chriſti ſequeretur, ſacramq; Chriſti religionem ſeriò ſubiret. Et priùs quàm diſcederet imperator, Rex Haraldus in optimo laudabilis conſcientiæ portu relinquēdus, cum Suenone filio baptizatus eſt. Filium autem de ſacro fonte ſuſcipiens Otto, vt maiora dignitatis ac perſeuerantis memoriæ incrementa, ipſi adijceret, inclytæ ac ſplendidæ maieſtatis ſuæ appellationem, gentilitatis nomini coniunxit, atq; Suenottonem appellauit. Quod Regis exemplum & reliquus populus eſt ſubſequutus.

Sed circa hæc tempora, Adaldagus Hamburgensis pontifex, tres Episcopos in Dania præfecit, Slesuico Haraldum, Ripis Leffdagum, Rembrandum Arhusiæ. Hisce subiectæ sunt Ecclesiæ in insulis erectæ, vt in Fionia, Sielandia, Scania & Suecia: Nam ibi nec dum fuêre Episcopales Ecclesiæ. Hanc historiam Trittenhemius paulò aliter recitat, & adsignat annum Domini 948. Nominat enim Godefredum regem Danorum, sub quo ista sint facta. Saxo etiã noster variat, ob historiæ perplexitatem. Bruno autem Archiepiscopus Coloniensis, Nordalbingẽses, Danos, Holsatos, Stormaros, Dithmarsos, magnis laboribus ad fidem Christi reduxisse, & Euangeliũ Christi, latè in istis regionibus diffudisse scribitur: id quod Sigebertus narrat

factum

factũ, ANNO DOMINI 958. Sed vtut se res habet, ordinata iam aliquo modo religione in his regnis, nihilominus multorum animi, ardebant odio Christiani nominis, & disciplinæ Ecclesiasticæ: tantum malum est error inueteratus, & tam fœcundus, vt difficulter vbi is radices egerit, euelli poßit. Sed & eo tempore Danicis rebus multùm profuit Poppo, vir Christianißimus nobilis & manu promptus, qui multis peragratis regionibus, multa vidit, audiuit, recensere potuit. Hic in conuentu solenni procerum regni, qui tum VViburgi in Iutia agebatur, cùm adessent noui pontifices, Ripensis & Slesuicensis, & de religione Christi populariter suscipienda dissererent: essentq́ qui ex aduerso, patriæ & auitæ religionis tuerentur iura, im-

miſcuit ſe diſceptationi multa inferens, ad conuellendam vanam veterum & ſuperſtitioſam religionem, & ad fundandam & perſuadendam, ſolidam & veram Chriſti doctrinam. Ac ſanè multis diſputat de cultu veri DEI, quòd nimirum vnus eſſet DEVS verus in eſſentia, trinus verò in perſonis: aduerſarij contrà aſſerebant, Chriſtum quidem eſſe DEVM, ſuos tamen Deos & potentia & antiquitate ipſum antecellere. Res tandem ad Haraldum Regem defertur, vt is litem eorum dirimat. Haraldus Rex Daniæ hiſce rixis motus, Popponi iniunxit, vt ſuam religionem aliquo miraculo ſeu teſtimonio probaret; ac eò tunc exiuit diſputatio, vt rebus potius quàm verbis, veritas comprobaretur. Ecce inquit Poppo, ferrum in mo-

dum

dum chirotecæ fabrefactum, cui ma-
nus inseratur cum digitis, iubeo to-
tum igniri, spondeoque portaturum
me sine læsione, in quem locum con-
stituitis, per virtutem Euangelij
IESV CHRISTI, & veræ reli-
gionis eius. Expectabant interim
vniuersi, vt impleret quod dixe-
rat. Ille ignitum ferrum manu in-
duit, & intrepidus sine vlla contra-
ctione vultus, aut significatione dolo-
ris, ad locum monstratum deporta-
uit. Cernite, inquit, virtutem IE-
SV CHRISTI, cui parent elemen-
ta omnia: quippe qui fecit cœlum &
terram, & omnia in his degentia.
Nunc si quis assertor veterum, fidat
religioni quam coluit, experiatur vir-
tutem Dei sui, quem adorauit. Quo
facto obstupuêre omnes, præsenti
miraculo conterriti, & mutire non
aude-

audebant. Ac qui antè insaniêre, nunc nomina dedêre: & sacri Baptismatis ad vnum omnes qui aderant, vndam salutarem subierunt. Ac paulò post, ipse Poppo ab Adaldago, Bremensi Pontifice consecratus, ad Episcopatum Slesuicensem euehitur, cui tandem designato Episcopo in Arhusiana diœcesi, alius quidem pius succedit. Hoc factum est eo tempore, quo VVenceslaus, Rex Bohemiæ, à fratre suo Boleslao, qui regiam dignitatem ambiuit, odio Christiani nominis cæditur, & preciosus Christo martyr efficitur. Sed dum hæc geruntur, pijßimè vixit Haraldus, qui vnus erat sua ætate ferè in toto Christianismo, Rex prestantißimus, in quem omnium vicinorum Regum oculi præcipua mitterentur obseruantia.

Ac profectò hic rex, religione & fortitudine insignis, CHristianismum in regno suo iamdudum benignè susceptum, & Pipponis miraculo confirmatum, vsq; in vitæ exitum constanter retinuit: vnde & regnum suum sanctitate & iusticia confirmans, in regna transmarina suam dilatauit potentiam. Ita Deus omnes eos qui se diligunt, & veritatem cœlestem tuentur, ornat excellentibus virtutibus, & alijs eos commendat, autoritateq; roborat, vt & alij eorum exemplis, ad pietatem & iusticiæ munia inflammentur. Ecce sic benedicetur, qui timet Dominum. Sed quoniam crucis calamitas, indiuiduus est pietatis comes, non suis afflictionibus caruit hic Rex: Qui haud aliter ac Dauid ab impio Absolomo, à proprio filio eiusq; perniciosis

ſis aſſentatoribus regno exuitur, & miſerè trucidatur: de quibus paulò poſt dicetur. Verùm his temporibus, plures cœperunt ordinari in Dania Epiſcopi, quibus nondum erant certæ ſedes deſignatæ, ſed ſtudio plantandæ religionis quisq; in vlteriora progreſſus, verbum Dei tam ſuis quàm alienis prædicare certabant. Igitur in Dania poſt tres memoratos Epiſcopos, ordinati ſunt Harigus, Stercolphus, Folchbertus, Adelbertus, Merha, & alij nonnulli. Odincarum ſeniorem etiam ferunt ab Adaldago in Sueciam ordinatum, ac ſtrenuè legationem ſuam in gentibus impleuiſſe. Hic erat vir ſanctiſſimus, & doctus in his quæ ad Deum pertinent: ſed quò ad carnem, nobilis & origine Danus: quare & faciliùs potuit congentilibus de Chriſtiana reli-

religione persuadere. Fuit etiam hic tanta & sententiarum grauitate, & diuinorum consiliorum cognitione excultus, vt indomitos mortalium mores, ad sinceram nitidamque summi creatoris agnitionem, benigna voce, gratis oculis, gestu moderato, & similitudinibus iucundis facilè reduceret. Hæc magna est laus nobilitatis horum regnorum, quibus nos etiam debemus partem nostræ æternæ salutis, & conuersionis ac reductionis è regno tenebrarum, ad æternam vitam & beatitudinem. Ac profectò Odincarus nobilis, tantæ pietatis & existimationis suis temporibus fuit, vt vix aliquem tam clarum prodat antiquitas, præter Leffdagum Ripensem, qui & miraculis clarus fuit, & transmarinis prædicauit regnis, rudemque popu-

lum

lum ad Christi fidem perduxit, vel iam credulum in fide solidauit.

Cæterùm nouissimis Adaldagi Hamburgensis Episcopi temporibus, res pietatis nunc denuò in hoc regno turbantur. Nam Haraldo rege Christiano, iam in senium vergente, filius Suenotto & ipse baptizatus, deficit à Christiana religione tali occasione. Primùm, viuo adhuc patre, aspirabat ad Regni sceptrum, & videbatur sibi, patrem Haraldum diutiùs in viuis esse, quàm suis rebus consultum esset. Deinde procerum animos animaduertit, paulò alieniores esse à patre, qui flagrans pietatis veræ zelo, idolomaniam Ethnicam, cui illi adhuc addicti erant, tolerare nolebat. Adiungit igitur sese istis seditiosis & impijs proceribus

Sue-

Suenotto, cumq; ipsis aduersus patrem conspirat. Voti sui factus compos, patri bellum indixit: regno illum deturbaturus, patrisq; reuerentiam cum Christo abyciens. At ille senior, qui ab initio susceptæ religionis, spem omnem in Christo constituit, tum verò maximè ipsi Deo, rei commendans euentum: ita processit ad bellum, vt militibus suis (si Deus votis annueret) seuera de seruando filio suo præcepta daret: non illo pietate minor, qui & viuentem & mortuum, plangebat filium Absolomum.

Quo in prælio miserabili, & plusquàm ciuili bello, victa est pars Haraldi: ipseq; fuga sibi consulens, elabitur in Iulinum VVandaliæ oppidum tum clarum: in quo reparatis armis, denuò duxit in filium, sed exitus pugnæ, priore non fuit me-

lior. Igitur cùm tertiò congreßuri viderentur, diremptum est prælium, interuentione procerum partis vtriusq;, induciæq; fiunt. Quibus fretus Haraldus, cùm egressus in terram se à suis paulisper elongasset, ac vicinæ etiam syluæ inter rubeta concedens, ex insidijs misso iaculo ad necem vulneratur: seq; in Iulinum mandauit reduci, vbi Rex optimus, in fide ac inuocatione Domini nostri Iesu Christi, inter medios Dæmonicolas idolorumq; cultores, animam patris cœlestis manibus commendauit. Qui post mortem reductus in Daniam est, & Roschildiæ regali funere humatus. Ita Deus quodammodo cudit suos & format ad vitam æternam. Istis crucibus reuocantur homines ad vitam: magni spiritus, qui sunt inimicitia aduersus

uersus Deum, hoc pacto deprimuntur.

SEd filius Suenotto publicæ suæ factioni satisfaciens, Christiana religione abrogata & profligata, Ethnicam denuò profitetur ac mandat, in cuius rei testimonium, suum quoq; cognomen, quod in baptismo ab Ottone Imperatore acceperat, abijcit, tantum abfuit, vt eum necis paternæ atrocitas mouerit, pietasué flexerit? Sed ô magnam crudelitatem tuam Sueno, qui mortem patris tui non expectas: nec vt consors regni fias, cum patre optimo agis: sed patrem deijcere, neq; hoc tantùm, sed etiam patrem extinguere prorsus incumbis, ac tandem perficis. Hæc tua ambitio magna, vel rabies potiùs intolerabilis. Qui haud aliter te geris, ac Absolomus erga pientissimum patrem. Et tu longè superas impro-

bitatem ac ἀστοργίαν impij Caracallæ. Nam (vt refert Dion) Antonius Caracalla, filius Seueri, insidiabatur patri. Cùm equitarent simul, filius gladium euaginabat, vt patrem cõfoderet: sed cùm clamarent comites: prohibitus est. Ac quemadmodum non expectarunt olim, vt Claudius moreretur, sed extinxerunt eũ, vt Nero ei succederet: ita tibi acerbum est, ferre optimum patrem esse in viuis. Et velut filij Turcarum, parẽtes persequuntur, & fratres mutuis vulneribus cadunt: ita tu præter naturæ instituta, omnem humanitatem exuis, pietatem abijcis, στοργὴν negligis. Ac certè bonum patrem, filium tam degenerem habuisse mirari possumus: ac dignum quidem admiratione: Nam conducit hoc quidẽ ædificationi. Si semper nascerentur boni ex bonis, existimaremus

pie-

pietatem hæreditariò obtingere, rem eſſe Phyſicam, quæ traduceretur cum ſemine. Donum eſt Dei, pater filio tradere non poteſt: ſtudere quidem debet, vt filios quàm rectißimè & religioſißimè inſtituat. Deinde parentes etſi regenerati & probi ſint, non generant tamen liberos, ea parte quâ regenerati ſunt: quia non generant ſpiritu, ſed carne. Naturam tranſmittunt ad liberos, qualem habent ipſi: ſed habent eam cum procliuitate ad malum. Agricola purum frumentum, quod ariſtis & folliculis caret, ſeminat: tamen cum calamo in ſpica, cum folliculis in ariſtis naſcitur: quæ poſtea repurgari oportet, ſi vti volumus. Initia omnium rerum illarum, inquit Auguſtinus, habebat granum in ſe: ideo cùm pullulat, erumpunt omnia in actum, quæ

potentiâ latebant. Sic regeneratus est pater, tamen generat per carnem, quæ in se fomitem habet peccati. Ac veteres obseruarunt præstantium virorum filios, plærunque degenerasse. Citatur illud Manilij oraculum ex 3. Astron: Degenerant nati patribus. Ælianus Spartianus in vita Seueri Cæsaris, multis exemplis declarat, viros insignes aut orbos fuisse, aut tales liberos reliquisse, vt magis ex vsu rerum humanarum fuerit, illos absque liberis decedere. In sacris quoq; literis, non pauca extant exempla, quæ idem docent. Adam habuit Cainum, Noë Chamum, Isahac Esaum, Iacobus Ruben & eius fratres, qui in magnum eum mœrorem coniecerunt. Eli quoq; pessimos filios gẽuit. Sic & Haraldus noster Suenottonem procreauit

creauit

creauit malum, qui tandem bene cribratus, factus etiam est bonus. Ita sæpe euadunt filij scelerati cùm patres boni fuerint. Nam Suenonem, qui parentem defendere, non vita spoliare debebat, sequuti sunt tristißimi casus, vt facilè illum pœniteret abiectæ religionis & commißi parricidij. Est enim parricidium contra ipsam naturam, à quo ita abhorruerant gentiles quoque, vt in legibus ad legem Pompeiam de parricidio, lege penultima, exquisitum supplicium parricidis constituerint. Insuebant eos culeo vna cum simia, vipera, gallo gallinaceo & cane, atque ita deijciebant in mare: aut si mare procul fuisset, in profluentem. Quod si neque mare, neque fluuius affuisset, ex rescripto Adriani, bestijs deuorandi obijciebantur

bantur. Liuius lib. 48, tradit, non fuiſſe quenquam ante bellum cymbricum, hoc ſupplicio affectum. Poſtea P. Malleolus interfecit matrem, qui inſutus eſt culeo &c. Quare & merito & occulto Dei iudicio, magnis calamitatibus exponitur Sueno, propter impietatem & ingratitudinem, quam patri genitori rependebat. Immane quiddam fuit patrem deſerere. Patris enim, filius eſt pars. Nam filij corpulentam ſubſtantiam ex patribus habent: quare & hac ratione, ſuæ carni defenſionē debent filij. Sed vt reuertar ad reſipiſcentiā Suenonis, de occaſione & miſerijs aliquid dicā. Sueno paternæ perſecutor religionis & parricida, ſacrilegij merito, rex inter ſuos deſignatus eſt. Sed vt impietas nulla manet inulta: ita hanc in parentem ſuum, inque omnium parentem

rentem

rentem Christum iniuriam, infe cißimi successus vindicauêre. Siquidem bello VVandalis Iulinensibus indicto: quòd parentem eius profugum excepissent, quamuis vitâ functum remiserint regali pompa, Roschildiæ condendum, nauali prælio gentem inuadit, quem vltio diuina Deo contumacem est subsequuta. Appellatur autem Iulinum oppidum nunc VVollinum, vbi natale solum fuit D. Iohannis Bugenhagij Pomerani, reformatoris harum Ecclesiarum, & professoris quondam huius Academiæ clarißimi, vbi antiquis adhuc extantibus aliquo modo ruinarum monimentis, apparet vetus & florens Iulinum in circumferentia sua, integrum milliare Germanicum excessisse. Ac Emporium fuit totius Europæ, post Constantinopolim (vt

ſcribunt) longè celeberrimum: quòd non vna tantùm gens, ſed diuerſarum nationum populi, diſcretæ linguæ, religionis & fidei, homines inhabitarunt, & mercaturam exercuerunt: VVinithi, VVinni, Heneti, Slaui, Dani, Sueci, Gambriuij, Circipani, Iudæi, Gentiles, Pagani, Rutheni, Græca fide vtentes, & ſimiles aliæ gentes complures. Quibus omnibus & ſingulis, ibidem negociandi æqua erat poteſtas, & ſaluus dabatur conductus: ſolis CHriſtianis, ſub interdicto pœnæ mortis excluſis, & ſingulæ gentes ſuas diſtinctas plateas inhabitauerunt: quibus & nomina à ſe indidiſſe, primarij inter eos perhibentur. Hæc confuſio diſſoluta, poſtmodum ex idololatria in tetras libidines, & multiplicem tyrannidem

rannidem

rannidem exorbitans, peperit excidium florentißimæ vrbi Iulino, vt primò fulmine cœlesti, aliquoties miserè afflicta, Ruthenos inde commouerit in patriam emigrare, & cum suis consortibus alias sedes in Rußia quærere: vbi & ducatum adhuc VVollinensem dictum fundauerunt. Consequutæ sunt & aliæ seditiones & negociorum dißipationes, donec tandem ANNO CHRISTI 1570, à VValdemaro primo, Rege Daniæ, & ductu Absolonis Episcopi Roschildensis, expugnata & solo æquata est, iusto DEI iudicio pœnas luens meritas.

Itaq; Sueno, omnibus salutaribus piorum Episcoporum monitis reiectis, à sua crudelitate & perfidia non cessans, cùm contra Iulinum

oppi-

oppidum bellum suscepisset: tantæ potentiæ fertur Iulinum fuisse, vt potentissimum hunc regem Suenonem, ter bello superatum, captumq́; exolutis lytris, nihil regni huius potentiam extimescens, impauidè demiserit. Nec tamen adhuc reuerti curauit ad Dominum, quem primò in morte patris offendit: & deinde nece fidelium grauiùs in se prouocauit. Interea infelices successus Suenonis, fiduciam augebant Erico Suecorum regi, vt & ipse arma in Suenonem à Deo derelictum moueret: cum quo innumerabili collecto exercitu, nauali congreditur pugna, fudit fugauitq́; Suenonem, ac regno cedere coëgit. Interim Sueno regno depulsus, dignam factis suis mercedem à Deo accepit. Nam cùm multa circumspicienti apparuissent perfugia, ante

om-

omnia tamen Noruegia illi, & opportuna loco, & meritorum debitrix visa est. Quare contendit ad Regem Noruegiæ, Olaum Trutonis filium, antè baptizatum ex Bernhardo Anglo, doctrinam Christi in Noruegia plantante. Quem Olaus iacentem contempsit, precantemque repulit. Quare Sueno hoc fortunæ ludibrium gustans, inde in Eduardum Angliæ Regem respexit, qui quoq; insidiari magis, quàm precari iudicans hominem, à se inconsolatum preterijt Suenonem. Sueno tamen nihil intentatum relinquere volens, ad Scotiæ regem peruenit: ibique inexpectatum salutis præsidium accepit. Cæterùm mortuo Erico Rege Daniæ & Suециæ, Sueno exul in regnum rediјt, sed meliore necdum mente: inde factum est, vt filius

Erici

[Left page margin fragments:]
ßet: tantæ po
fuisse, vt po
em Suenonem,
captumq; exu
gni huius poten
mpauidè demiss
dhuc reuerti cu
quem primò i
it; & deinde re
in se prouocau
cessus Suenoni
Erico Suecoru
a in Suenonem
oueret; cum qu
o exercitu, naua
fudit fugauit
o cedere coëgi
depulsus, di
dem à Deo a
lta circumspici
rfugia, ant
om

Erici Olaus, paternam in Dania prosequutus ditionem, iterum bello expulerit Suenonem. His acerbissimis fortunæ fluctibus, expositus Sueno, secum tandem volutare cœpit, quanto ex fastigio decidisset: quàm crebris iactatus infortunijs, cessisset hostibus antè sæpe victis: quàm etiam contemptus haberetur inter eos, in quos & parens eius, & ipse crebra beneficia contulissent. Descendit etiam, miserante DEO, in animum eius, hanc tantam illi suo demerito infelicitatem prouenisse, quòd sanctissimam CHristi Religionem abiecisset. Igitur tantorum causam malorum iam inuentam, expiare constituens, ad cor reuersus, cognouit quia Dominus ipse est Deus, & ex toto corde conuersus

uersus ad illum, pœnitentiam peregit erroris pristinorum. Exaudiuit illum DEVS, & dedit illi gratiam in conspectu inimicorum suorum. Nam Olaus Sueciæ Rex, ei Daniam regendam permisit, ea conditione, vt ibi locum Ecclesiæ Christi præberet, & quòd vitricus eius esset, matremq́ duxisset Suenonis, fœdusq́ue inter eos ictum est, de firmando atq́ue in vtroq́ue regno propagando Christianismo. Hæc Suenonis resipiscentis restitutio, DEI opus fuit. Nam DEVS in corde Olai egit, vt illum quem eiecerat, restitueret in regnum. Adeo etiam verum est illud prouerbi: 16: Illi cuius viæ DEO placent, conciliabit hostes. Suis electis DEVS hostes conciliat. Olaus & magnates regni, iam fuerant hostes Suenonis,

per-

persequuti fuerant eum: sed nunc repente mutatur eorum cor. Non videmus ita semper fieri. Sed sæpenumero fit, vt contra illos qui sanctè agunt, quibus Deus fauet, quosq; gratiâ suâ & excellentibus donis ornat, excitentur tyranni & inuidi sycophantæ. Nostra tempora experiuntur, quòd qui sanctè viuere volunt, ab improbis contemnuntur, ac subinde in magnas calamitates deuoluuntur. Attamen hoc sæpè accidit, quod in Suenone factum est, vt qui reconciliatus sit Deo, eius hostes mutentur. Nebucadnezar, Darius, Cyrus, hostes erant Israëlitarum: sed Deo fauente, cœperunt eis fauere. Ita perspicuè quoq;, vt alicubi aliàs, elucet Dei prouidentia in Rege Suenone. Nec frustra dicitur: Inite consilium & dissipabitur. Vult

Deus

Deus vt homines ineant conſilia, impedire poſſet, at non facit? finis eſt vt puniantur ſcelerati, & agnoſcatur eius potentia. Amplißima eſt prouidentia Dei, admiſcet ſe omnibus rebus: ſi videre poſſemus, obſtupeſceremus. Flectit Deus mentem Suenonis, vt conſilium Dei habeat locum, quod ad inſtitutum Dei facit. Quomodo flectit voluntatem? violenter ne? nequaquam. Non enim poteſt cogi voluntas, ſed ſuauiter flecti. Promißiones Dei adoleſcens audierat, quare Deo promittēti in ſuo verbo, remißionem peccatorum fidit: non amplius indulget ſuggeſtionibus Diaboli, nec aſpernatur ſalutaria conſilia. Ac Deus ipſe in his omnibus, dirigit eius cogitationes ad ſalutarem finem. Nam vt donum Dei eſt conſilium: ita à Deo oportet

vt ſit iudicatio de recto conſilio. His adde afflictam fortunam, miſerias & exilia. Sic veriſsimum eſt παθήματα μαθήματα. Et dicere poterat cum Dauide: Bonum eſt mihi Domine, quòd humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas &c. Hæc prolixiùs de temporibus Suenonis, quæ maximè faciunt ad noſtram doctrinam & conſolationem, inſigneq́ ſunt documentum, neq́ ſecundarum rerum prouentu inſolenter abuti, neque aduerſis prope debilitari oportere. Quibus etiã claruit in hoc regno, iunior Odincarus Albus, ſenioris & ſupra nominati Odincari diſcipulus ac nepos, vir doctrina & ſanctitate inſignis. Fuit & ipſe nobilis, regioq́ ſtemmate oriũdus, qui patrimonium totum, quod habuit ampliſsimum, neceſſarijs Eccleſiæ vſibus erogauit. Pauperibus etiam

tiam in zenodochijs degentibus benignissimè agros distribuit, eosq́ locupletes effecit. Hunc in schola Bremensi educatum, & doctrina pietatis ac honestatis, tum liberalibus disciplinis imbutum, Episcopus Adaldagus, & suis manibus baptizauit, & suum illi nomen, vt Adaldagus, diceretur indidit. Fouebantur antiquitus apud insignes Ecclesias, viri erudita doctrina ac humanitate præstantes, qui publicas scholas aperirent, priusquam publica literarum gymnasia & Academica loca, quæ nunc multa florent, per Christianismum erigerentur. Quæ res in Saxonia & hoc regno ferè noua est. Nam nulla est in Saxonia schola publica, quæ vel du centesimum attingit annum.

SEd ea tempestate, de qua nunc disco, valuit vetus Ecclesiarum con-

ſuetudo, ab vsq; Origene & Clemen-
te, primisq; Eccleſiæ doctoribus tra-
ducta, qui apud memorabiles Eccle-
ſias Antiochiæ & Alexandriæ, iu-
uentutem ſuis temporibus docuerunt.
Ac præ cæteris quarumcunq; regio-
num, illuſtris fuit in vtroq; diſcipli-
narum genere, nobilis illa & ve-
tuſta Alexandrinorum ſchola, cui e-
tiam magna cum laude poſt Orige-
nem, diu præfuit Dydimus cæcus.
Nec quoſuis in ſcholis publicè docere
licebat, ſed prius iudicio ordinis pro-
batos & conſentientibus curialibus.
Ac proculdubio in gymnaſijs, fue-
rant diuerſa auditoria ſiue claſſes.
Quemadmodum & ſchola Romana
olim in capitolio, habebat tres orato-
riæ, decem Grammatices, & quin-
que ſophiſtas ſeu Dialectices profeſ-
ſores, vnum tantùm Philoſophiæ,
&

& duos iuris ſeu legum Doctores. Sed proh dolor, nullum impietas Romana admiſit cœleſtis doctrinæ profeſſorem. Approbati autem à ſcholarchis, ſinguli in ſuo ſeparato auditorio legebant, ne diſcipuli ſibi inuicem obſtreperent, & ne magiſtrorum voces permiſtæ, aures quorundam, aut mentes à ſtudio literarum auerruncarent: ſecundum legem Theodoſij & Valentiniani, vniuerſos qui vſurpant, Cod: de ſtudijs liberalibus vrbis Romæ. Eodem modo Othinocarus Iunior, in illuſtri gymnaſio Bremenſi educatus fuerat. Ac ſanè bonus hic paſtor, bona ſua erogaſſe in Dei honorem non contentus, rebus diuinis totum ſe addixit, & non ſolùm agmina ſcholarum, ac Eccleſias in Epiſcopatu Ripenſi collectas, fideliter docuit: ſed etiam Chriſtia-

nismum in Dania suis est diebus fortiter tutatus. Interim Sueno ad senilem perductus ætatem, iam armis relegatis, rebus tantùm vacabat sacris, ac singulare ipse vniuersis & singulis extitit regibus exemplar. Qui quamdiu religioni repugnauit, infelicissimis successibus semper fuit, ac ad extremas peruenit calamitates. Cæterùm in Deum conuersus, diuinamq́ serìò amplexus religionem, ex infimo gradu, ad splendorem ac felicitatem, vicinis regnis perspicuam peruenit. Angliam enim & Noruegiam, prius in miserijs sibi insultantes, suo subiugauit imperio. Cùm autem Sueno, vitam ipsam cum pietate terminasset, hanc pietatem DEVS immortalis vt compensaret, non minùs eam beneficijs cumulauit in Suenone parente,

te,

te, quàm in filio Canuto, qui ob magnitudinem Imperij & rerum à se gestarum, Magni cognomen meruit. Nam quod parenti propter senium conferri non poterat, hoc DEVS rependi in filium voluit. Ac sanè pij parentes sibi datum existimant, quod in liberos collocatum fuerit. Debent enim parentes curam habere filiorum. Filij non thesaurizant parentibus, sed parentes filijs. Hoc probè omnes pij nouisse debent.

Quod igitur non datur parenti Suenoni, datur filio. Felici enim victoria potitus, quinq; potentißimorum regnorum fit Dominus: ac multos ex Anglia victor Canutus, in Daniam induxit viros, pietate & eruditione excellentes, ex quibus Bernardum posuit Episcopum in Schania,

Gerbrandum in Sielandia, Reine-rum in Fionia. Hi viri etiam docuerunt in ſcholis Theologicis. Ac veriſimile eſt, inde adhuc manere ſcholas Theologicas in ſingulis illis locis, vbi reſidebant hi Epiſcopi: vt Roſchildiæ, Lundiæ, Othoniæ, & alibi. Itaq; ſcholarum cura, ad Epiſcopos & presbyteros pertinebat. Arnulphus Metenſium Epiſcopus Dagobertum Clotharij filium, puerum à parente ſibi commendatum, inſtituit in religione Chriſtiana.

Et Theodorum ac Ebroinum Epiſcopum, Cantuariæ congregaſſe diſcipulos, narrat Beda. lib. 4. cap. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Et Canon 5 ſextæ Conſtantinopol: inquit: vt presbyteri per villas & vicos ſcholas habeant, fidelium paruulos ſuſcipere ac docere non renuant. Cùm verò

eos

eos docent, nihil ab eis precij exigant, neq; accipiant, excepto quod eis parentes eorum, charitatis studio, sua voluntate obtulerint. Ita & hi Episcopi, non tam in his regnis collegerunt Ecclesias: sed etiam in scholis Theologicis tradiderunt capita cœlestis doctrinæ, exposuerunt Psalmos Dauidis, & hymnos Ecclesiasticos, tum artes dicendi & linguas. Quemadmodum paulò ante illa tempora, Theodorus Episcopus Cantuariensis, & Ebroinus abbas suis discipulis non tantùm sacra: sed etiam latinam & Græcam linguam, tum alias vtiles disciplinas tradiderunt. Ad hanc rem plurimum contulit Canutus rex. Qui etiam ex fisco suo compluribus in locis, priuatorum studiorum conuictu instituto, cellarum frequentiam nouis auxit con-

 uenticulis,

uenticulis, sacrorumq́ venerationem, regiarum opum impendio, stipendijs multiplicauit.

Ac sanè illa adhuc ætate Monasteria fuerunt scholæ, quibus abbates præfuerunt. Donabantur autem munere regio, à Canuto & nobilitate regni possessiones & territoria, ad instituenda Monasteria, quæ essent officinæ eruditionis ac pietatis. Ac Balêus historicus, centuria 13 scriptorum Brytannicorum, Gregorium Magnum gymnasia Brytannorum transtulisse ad monasteria refert, ad hæresin Pelagianorum, quæ in scholis tradebatur, extirpandam. Vnde æstimare licet, etiam in nostra patria, Monasteria fuisse scholas vtiles & illustres, quæ postea multis in locis facta sunt lupanaria,

panaria, ac omnis turpitudinis lu-
ſtra. Cùm autem dirigerent vi-
tam, primi doctores ad duas res
præcipuas, nimirum ad Dei inuoca-
tionem in priuata vita, & honeſta
pietatis exercitia, quæ & arcerent
vicia, & alijs hominibus prodeſſent:
aptè erant diſtributa tempora, ita
vt vel precibus ac pijs cantionibus va-
carent diſcipuli, vel doctrinarum ſtu-
dijs auſcultarent. Antelucanis tem-
poribus per vices fiebat inuocatio
Dei, quòd hoc tempus cogitationi
& precationi, maximè idoneum eſ-
ſe iudicabant, cùm iam corpora
nec cibo, nec fumis onerata ſunt, & a-
cerrima in ieiunis intentio eſſe poteſt.
Conſumptis in his pietatis exercita-
mentis, aliquot horis, poſtea ad pran-
dium diſcedebant, & vel ad commu-

nem

nem aliquot conuictorum mensam, vel priuatam, vt singuli constituerunt, aut eorum valetudo poscebat. Ac interim aliquid temporis, tribuebatur recitationi Bibliorum sacrorum, tum eruditis sermonibus de Deo, & reliquis partibus cœlestis doctrinæ, alijsq; disciplinis necessarijs. Deinde recurrebãt ad vsitata exercitia, ac semper ante tenebras noctis, rursus ad precationem conueniebant.

ETsi autem ordo actionum eleganter institutus erat, & multi in his collegijs modestè viuebant: tamen interdum aliqui vincebantur suis cupiditatibus, vt legum diuinarum obliuiscerentur. Et vicina oppida licentiam voluptatibus concedebant. Sed collegiorum seueritas hæc erat, vt cùm quispiam defraudasset alium, vel mentitus esset, vel libidine pollutus

tus

tus fuiſſet, ſtatim eum communi ſententia à toto cœtu excluderent. Hæc igitur fuit politia primorum Monaſteriorum & Collegiorum, in his & alijs regnis: quæ complectebantur doctrinæ ſtudia, exercitia inuocationis, gubernatorum reuerentiam, honeſtos mores congruentes Decalogo, educationem adoleſcentiæ &c. Iam ſi quis quærat, quid in tali conſuetudine reprehendi poßit? Huic reſpondeo de voce æterni patris, qui inquit de filio: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite. Et toties Prophetæ iubent audiri Meßiam: vt pſalmus ſecundus inquit: Oſculamini filium. Hunc autem filium illa ætate non audierunt, qui promittit nobis vitam æternam ſine noſtris meritis: ideoq́ religionem Chriſtianam, non ſeminarunt puram & incorruptam. Nam

car-

cardinem iſtum vniuerſæ pietatis, de iuſtificatione gratuita, per ſolam in CHRISTVM fidem inuerterunt. Ac potiſsima pars hoc tempore in Eccleſijs, erant ceremoniæ quæ indies magis magisq́; accumulabantur: doctrinæ verò longè poſterior erat cura, ſicut adhuc in papatu fieri videmus. Nam ceremoniæ non modò ad ſuperſtitiones pluſquam gentiles, ſed etiam ad quæſtum & honores comparatæ atque directæ ſunt, ſicut poſtea amplius cognoſcetur: probè norunt iſta aucupia, Romani aucupes & piſcatores, ideo huc omnes cogitationes, omnes vires conuerterunt. Et res ipſa ita craſsè temporibus hiſce tractata eſt, vt ſine omni pudore, ſtatuas manu hominum effictas, aſſeuerarint non ſimplici duntaxat honore, ſed etiam

adora-

adoratione colendas esse. Reprehenderunt interim abusum illum, non modò Ecclesiæ quidam doctores (quanquam pauci viri & cordati doctores reperiebantur) sed etiam nonnulli magistratus politici & principes: qui adorationem & venerationem statuarum, cum verbo DEI, manifestè pugnare testati sunt: ac multò leuius damnum esse iudicarunt, statuam abyci, quam pati, vt tali occasione honor inuocationis, Deo soli conueniens, trunco mortuo, vel etiam defunctæ creaturæ, attribueretur. Ipsi etiam Saraceni testabantur, se eò magis abhorrere à Christianorum religione, quòd idola colerent: cùm quidem Deus in veteri testamento, id planè prohibuerit, Romanus verò Antichristus,

cum

cum ſuis quibuſdam ſuperſtitioſis & fanaticis mancipijs, hîc ſeſe præbuit egregium & truculentum Iconolatrarum patronum, iuxta illam picturam Matth. 4: ſi procidens adoraueris me, dabo tibi regna mundi huius. Nam ſingulari ardore Romani pontifices, venerationem & adorationem ſtatuaram in templis propugnarunt: idq́; non fecerunt perſpicuis S. ſcripturæ teſtimonijs, (licet aliqua dicta crudeliter crucifigerent, crinibusq́;, quod dicitur, molirentur ad ſuam opinionem pertrahere,) ſed prætendentes vſum partim receptum, & quædam patrum dicta allegantes: deinde quaſdam proferentes apparitiones ac viſiones, quibus ſancti iuſsiſſent, ſe in ſtatuis quibuſdam coli. Inſuper cùm non obſcurè animaduerterent, eiusmodi putridis ac fœtentibus

bus rationibus, sese parum apud rectè sentientes, obtenturos esse, e vestigiò ad vim confugiunt: ac primùm damnant sine omni fronte, synodos, iconolatriam ex verbo Dei euertentes: dirisq́ execrationibus eas anathematizant. Politicos magistratus ipsosq́ adeo Imperatores, gladio excommunicationis non tantùm territant: sed veluti thronum Dei possidentes, præcipiunt subditis, ne eiusmodi magistratibus, venerationem & inuocationem statuarum abolentibus, politicum honorem, obedientiam, tributa præstent, &c. Hæc ideo prolixiùs recitaui, vt adolescentes, quibus huiusmodi res sunt ignotæ, hanc Antichristi notam & insignem characterem, abundè & ad fastidium vsq́ cognoscant & abominentur: & ne ipsi vnquam Papistis locum dent,

vt impunè Dominum blasphement, & ouiculas CHristi corrumpant. Quæ etiam, dum alij pij auditores recitari audiunt, execrari, ἐλέγχειν καὶ ἀνασκευάζειν debent imposturas pontificias, & Deo gratias agere, pro reuelata Euangelij luce, ac cogitare quàm nos felices esse possumus, qui ex huiusmodi fœdis atque putridis cisternis, non ampliùs aquam viuam haurire cogimur. ô felices nos, si bona huiusmodi agnoscere & ritè vti nouerimus?

Sed quia ideo institui hanc narrationem, vt sciamus, initia & propagationem religionis in hac nostra patria: ac inprimis vt constet per quos doctores, initiò tradita sit doctrina, tum per quos reges fuerit defensa & propagata, nunc me reuoco ad signa.

Hæc

HÆc post annum Christi 1089. gerebantur, indictione 12, circa quæ tempora migrauit ab his miserijs Poppo, in omni gente Danorum celeberrimus vir: cuius virtute & instantia, infinita Danorum millia ad fidem Christi peruenerunt. Quod seculũ currebat selectißimis regibus. Nã Francia tum regẽ habuit Robertum, doctum, pium, sanctum: VVngaria Stephanum: Noruegia Sanctum Olaum. Hic Olaus etiam Christianæ religionis obseruantißimus fuit, ac inter alia virtutum suarũ præconia, hoc reliquit memorabile sanctitatis exemplũ. Die dominico cogitationibus grauatũ cùm gereret animũ, baculũq; manibus teneret, & cultello, vt fit, scindulas faceret, non aduertens quòd sacer esset dies, admonitus ab astante per iocum, de violatione Sabbathi, non leuiter in

Observ. Sabba. [illegible] [illegible] olo

se putauit admissum: scindulas collegit diligentissimè, manuiq; suæ impositas incendi iussit, vt in se vlscisceretur, quod contra diuinum præceptum incautus admisisset. Hac seueritate in se vsus Olaus, non dissimulauit in cæteris crimina, in legem Dei commissa, quiq; ea seueriùs vindicans, multorum, vt fit in se odia concitauit.

Erant ex proceribus regni sui, qui in gratiam Canuti Regis Danorum, in Olaum coniurabant. Igitur ad arma conclamatur in regem, ipseq; non imparatus, exercitum habuit expeditum in castris, hostium opperiens aduentum. Dormiebat in tentorio suo Rex Christianissimus. Cùm iam hostes imminerent, expergefactus est à principe militiæ suæ. Cui Rex: vtinam, inquit, modico

me

me tempore quietum liquiſſes, vt vi-
ſionis quæ pandebatur exitum perſpi-
cerem: videbam enim aſtare mihi
ſcalam, cuius cacumen pertingeret
in cœlum, meq; per illam conſcendiſſe,
& vſq; ad ſuperas portas perueniſ-
ſe regni, iam iamq; ingreſſurum ex-
pergefaciebas attonitum. Ipſa iam
beati regni felici propinquitate ſuc-
cenſus, videre percupiebam, quæ
Dominus oſtendere dignaretur. Sed
congreſſum inde prælio hoſtes exce-
pêre, ſuperioresq; facti, regem in a-
cie contrucidauerunt: eũq; extinctum
perduxêre Trondemium, nunc Ni-
droſiam vocant, regni metropolim,
ibiq; ſolenni funere contumulauêre.
Talis fuit exitus Olai, qui omni æ-
uo dum viueret, pijſſimus fuit, ac
inter omnes reges Aquilonis illa ætate
celeberrimus. Sed per idem tempus,

visio Olai nio.

quidam ab Anglia VVolfredus, diuini amoris instinctu, aduersus superstitionem sacrilegam Sueciæ se opponens, diuinum & optatum inuenit sancti martyrij exitum. Nam in concione populi exclamans, si nũc (inquit) potens est vester Deus Tostan, sese vindicet: & arrepta securi, simulacrum in frusta concîdit. Non tamen impunè: quippe mox ab astantibus, mille petitus gladijs confoditur, frustatimq́ conscissus, pœnas, vt aiebant, dedit violato numini gentis. Sed cum illo bene actum pronunciat Dei verbum: beati qui patiuntur propter me. Quare vitam alioquin naturæ impendendam, in sacrificium Deo reddidit, translatus ad meliora. De gloriosissimo rege Canuto diximus, à quo antequam digrediar addẽdum censeo, quàm magnificè Deus ip-

sius

sius pietatem auxerit: euexit enim Deus ipsius potentiam, ad summa fastigia, præfuit enim vt supra dixi, illa tempestate, quinq; potentissimis regnis, Daniæ, Sueciæ, Noruagiæ, Scotiæ, Angliæ. Deinde quoq;, singularem apud præcipuos orbis terrarum reges ac principes, authoritatem, pietas ei conciliauit: ita vt Henricus III. filius Conradi Imperatoris, vxorem sibi ex filiabus Canuti magni, regis Danorum acciperet. Ipseq; Conradus Imperator post regales nuptias, regio statim apparatu Italiam ingressus, Canutum regem itineris sui comitem duxit, potentia quinq; regnorum insignem, omnibusq; in circuitu victorijs illustribus satis terribilem.

HÆc de Canuto rege clarißimo, dicta sufficiant, qui à medio-

cribus initijs progressus, propter amorem cœlestis doctrinæ, & pietatem erga Dei ministros, ad maximam dignitatem & gloriam, diuina ope & sua industria euectus fuerat. Nunc ad sequentes reges & doctores transibimus. Filijs Canuti magni, quos multos genuit, ante patrem excedentibus, solus Canutus superexistens, in possessionem regni firmatus est: qui cùm biennium regnasset, diem suum obijt, nullo relicto ex se hærede. Ita stirps magnifici regis breuî consumpta est, ac multa funesta bella Cnutonis mortem excepêre, misereq; diuexabantur hæc regna, partim à domesticis, partim ab alienigenis. Nam Sueno ex sorore Canuti Magni, nepos, Angliam pro consobrino Cnutone tenebat, Magnusq; Olai martyris filius Noruagiam,

giam, cum quo Cnuto pepigit, vt vter eorum superesset, vtriq; regno præesset: pactionemq; iureiurando, ab ipsis & vtriusq; regni proceribus, præstito fœdere, firmauerunt. Itaque licet Sueno ex germana Canuti editus, adolescens incomparabilis esset, magnoq; iuris vinculo contenderet, ad se regnum Daniæ pertinere: tamen peruicit apud viros graues, & religionis sacræ cultores, vt pactio Sacramento firmata, sanguini præferretur: Quare regem Daniæ designant Magnum, Diui Olai filium, qui iam antea potiebatur Noruagia. Itaq; & Sueno Angliæ princeps, & Vasallus Cnutonis ægrè ferens repulsam, dum Daniam patriam armis, sibi conciliare tentat, vtroq; regno destituitur. Nam Haraldus Guduini filius, Suenone ar-

ctißima sanguinis cõiunctione deuinctus, Angliæ Regnum, Suenone in Daniam nauigante inuasit, ac Danicis militum præsidijs, quæ Sueno distribuit in ordines, per conuiuia exceptis, vbi vino ciboq́ milites grauatos, sopor oppreßisset: immißis persecutoribus, omne præsidium Danicum ex Anglia sustulit: deinde & Eduardum conregem oppreßit, ac tandem obtruncauit. Ita nihil tam sanctum, quod non regnandi cupido subuertat.

Interim Sueno confusus atq́ incertus animi, lusus quoq́ ac ex gubernatione Angliæ detrusus, cum Magno de Daniæ rerum summa, aliquoties congreditur, ac semper vincitur & fugatur in Sueciam. Itaq́ intestina bella, hæc regna ætate illa non parùm lacerârunt. Ad hæc accedebant etiam externi hostes, & motus peri-

periculosi. Ratibor enim VVandalorum dux, paulò antè cæsus est in acie à nostratibus, cùm prædatum abijsset cũ expedita manu in Iutiã. Fuit hic Ratibor vir Christianus, ac magnæ in sua gente authoritatis, habuitq́ octo filios, insignis nobilitatis iuuenes, qui omnes in vltionẽ patris assurgentes, ad vnũ perierunt vniuersi. Nã Magnus rex in Iutiam cõportatis copijs, VVandalos aggreditur, spe certus, quòd somnio monitus victoriã consequeretur. Nec defuit exitus, quem nocturna visio diuinitùs demonstrauit. Solet quippe vel ipsa diuinitas, vel vis de cœlo se quiescentibus pijs infundere, & futura nõnunq̃ insinuare. Cæterùm Magnus VVandalos prædatores, in campestribus Heidubæ, hoc est propè Slesuicum excepit, vbi quindecim millibus occisis composita res est, reliquis

in

in fugam actis. Sed hanc cladem VVandali & Saxones dicuntur passi, quòd Christiana sacra populariter reiecissent, & ad paganismum resilijssent: quorum tum Godschalcus multos reduxit ac recuperauit Christo. Verùm mors & casus repentinus, qui victoriam Magni Regis subsequutus est, Suenonem angustissimis fortunæ casibus implicatum, ex profugo regem fecit & ab extrema calamitate ad summam felicitatem perduxit. Ita omnium mortalium ope priuato Suenoni, præsidium supremæ pietatis affulsit, regnumq; quo illum fortunæ iniquitas spoliauit, eiusdem beneficium restituit. Circa hæc tempora, permittente Deo, propter peccata hominum Christiana religio, prorsus in tota VVandalia orientali excisa est: ac certè à cæde

cla-

clarißimi principis VVandalorum, Godschalci vltra 84 annos, nullæ fuerunt in VVandalia Ecclesiæ. Fuit autẽ Godschalcus Holsatiæ princeps Christianißimus, qui occupata regione à Crytone tyranno, cùm pro sua in populo authoritate instantißimè ageret, vt fideles firmarentur, & infideles conuerterentur: iamq; prosperatis (vt videbatur) rebus, maiorem in modum fides refloresceret in sua gente, subitò exarsit coniuratio malè potentum in caput Godschalci, qui in oppido Lenze ad ripam Albis sito, opprimitur, pro Christo cæsus ad aram cum sacerdote Ippone, & alijs multis, qui pro Christo diuersa pertulerunt supplicia: inprimis vxore sua, filia Regis Daniæ, quæ quoq; cum cæteris Christianis mulieribus diu cæsa, nuda per ignominiam

est dimissa: Fuit quoque apud principem Godschalcum, hospitio exceptus Iohannes quidam, natione Scotus, plenus dierum & Episcopus Megapolensium, qui multa millia ante tumultum exortum baptizauit, & eodẽ tempore propter confeßionem Christi, in vrbe Megapolensium Rethre, fustibus cæsus, deinde lusus, semiruptus vix attollens humo humeros, per singulas VVandalorum ciuitates, ad ludibrium ductus est: qui cùm à Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus & pedibus, in plateam corpus eius est proiectum, capite desecto, quod barbari contis præfigentes, in titulum victoriæ Deo suo Radegast immolauerunt. Hæc itaque fuit tertia VVandalorum defectio, quos primùm Carolus conuertit, deinde Otto primus, ac postremò

prin-

princeps Godſchalcus martyr Chriſti. Sed voluentibus ſeculis, cùm rediret tempus miſerendi eorum, & ipſi reuerſi ſunt ad Chriſti religionem: cùm maiores noſtri, manſerint conſtantes in fide Chriſti, pro quo beneficio nos etiam Deo debemus gratitudinem.

Nam Sueno inter ſuos illuſtris & pius, apud exteros quoq; celebris habitus, ac præcipuè in diuina feruentiſsimus religione, habenas regni gubernabat: qui ab Henrico III, qui filiam Canuti, Suenonis verò conſobrinam in vxorem duxit, ad colloquium in Saxoniam inuitatus comparuit: vbi vterq; perpetua confœderatur amicitia. Cuius confœderationis beneficio multū profectionis accepit Eccleſia, & propagatio cœleſtis doctrinæ, proſperis eſt aucta incrementis. Sed hîc tyrannidem, ſuperbiam & auariciam

riciam

riciam Romani Pontificis præterire non poſſum: nam quemadmodum olim apud Ethnicos, inter flaminium, protoflaminium & archiflaminium, magnam fuiſſe differentiam, veteres, teſtes ſunt idonei: ac inprimis M. Varro, qui in illis libris, quos inſcripſit de origine latinæ linguæ, nominat diales, martiales, quirinales, vulcanales, furniales, falacros, & præterea quàm plures: ita ad pompam eorum confirmandam, varios ſacerdotum ordines inſcripſerunt pontifices, quos pontificatus maximi titulis inſignitos, tanquam infulis curuliq́ ſella adornârunt: hosq́ Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, Patriarchas, Metropolitanos appellitarunt: vt prætercam reliquam illam hominum obſcurorum & titulorum, turbam infinitam. Hos tan-

quam

quam de suo peculio coëmpta mancipia, ad tuendam suam tyrannidem paßim dispositos, vti stationarios quosdam milites habebant, quiq; curarent, vt sibi, quid vbiq; ageretur, per delatores renunciaretur. Ita & suos stationarios, hîc constituere voluit Pontifex Romanus, quique iurisdictionem constituendi Episcopos, in his arctöis regnis, sibi vendicabat, Episcoposq; quos ipse indicabat, quanquam ignaros linguæ nostræ, Regibus imperauit. Hac de re extat Epistola Papæ, ad Haraldum regem Noruegiæ, patruum Magni & fratrem Diui Olai.

Hoc iugum Papæ iudicauit Sueno inutile regnis suis, meliusque existimauit populum erudiendum, per suæ nationis homines, qui & mores & linguam & ritus callerent, in

quaq́ insularum gente, quàm per alienigenas, quibus sit opus lõga interpretatione, & multa circuitione: idq́ experimento compertum esse sub prædecessoribus, qui operã illã per intermissos nõnunq̃ difficulter implessent.

Itaq́ & paulò post, cessauit legatio & tyrannis Archiepiscopi Hamburgensis in hæc regna, sicut dicam in historia Erici Eiegod. Ac rectè quidem cessauit: nam quid legato opus fuit in regno, qui Ecclesias & Monasteria grauaret impensis, extorsionibusq́ attenuaret? Ac hoc etiam tempore, prima Synodus in Dania celebrabatur, à qua existimo & conuentus ministrorum in Episcopatibus, adhuc retinere appellationem, in quibus nomen sine re, nostra ætate remanet. Ad hanc primam Synodum in hoc regno, & temporum opportunitas prouocauit

uit, & regnum ipſum iam multis redundans Epiſcopis, ac deniq; multa emendanda videbantur in nouella plantatione, præſertim ſuper acceptis donis, in Sacramentorum adminiſtratione, quibus etiam quaſi pro iure, quemadmodum & hodie in multis euenit, exactis: deq; crapula cleri & populi atq; multitudinis incōtinentia.

EPiſcopi autem qui hoc tēpore gubernabant Eccleſias, & docebant in ſcholis Theologicis, hi fuerunt: Rodolphus Sleſuicenſis, Odo Ripenſis, Chriſtianus Arbuſienſis, Heribertus VViburgenſis, Magnus & Albertus præfuerunt VVendilenſibus, quæ nunc Burglanenſis ſiue Olburgenſis diœceſis dicuntur. Eimo Scanenſibus. In Suecia ſex fuerunt. In Noruegia duo. In Fionia Eilbertus ac denique VVilhelmus in Sielandia,

landia, vir pietatis eximiæ & magnæ authoritatis, apud regem Suenonem, qui haud aliter ac Ambrosius Theodosium Imperatorem, propter sanguinem innocentem effusum, baculo pastorali æde sacra prohibuit, stimulum pectori adijciens, indignumq́ affirmans sacrario virum, qui humano id sanguine polluisset, adhæc iußit eum parricidij pœnitentiam agere: nec non excommunicationis sententiam, statim in eum præsentem protulit. Sed resipiscentem in gratiam recepit, ac Deo reconciliauit, tantaq́ illum charitate sibi constrinxit, vt cum illo Roschildiæ tumularetur. VVilhelmo Episcopo Roschildensi succeßit Sueno Noruagianus, cuius æmuli, cùm ferè esset literarum ignarus, in precationis forma pro rege dicenda, vt Deus re-

gem

gem famulum suum protegat &c: priores duas literas exsculpserunt, ipse verò latini sermonis ignarus, Musulum appellauit regem: omnium eum risui & ludibrio exposuerunt. Sed ea occasione motus Sueno, elongatus paucis annis à suo grege, Bononiæ in Italia bonis literis operam nauabat, doctißimusq; ad suos est reuersus. Suenoni autem regi, post multas disceptationes succedit Haraldus, qui pietatis & religionis amantißimus fuit: ac regnando biennium tantùm emensus, in fata concesßit. Cui in regni administrationem surrogatur Diuus Canutus quartus, qui anno Christi 1098, propter patriam amplificandam, studiumq; prouehendi & conseruandi sacra, Othoniæ, cùm ante aram pronus sese Deo commendaret, in Æde Diui Albani, lan-

cea per fenestram immissa confodi-
tur. Cædis autem Canuti Regis, au-
thor primus fuit Olaus frater, qui
regnum impatienter affectans, Re-
gem sanctum ob pietatem, iusticiam,
ac conatus diffundendi ac dilatandi
imperium, odio prosecutus est princi-
piô, in quem postea animo diu concep-
tam inuidiam ac indignationem, pa-
làm eructauit. Qua de re Olaus cap-
tus ab optimo rege: ac pro demeri-
tis, catenis vinctus in Flandriam
mittitur: & à socero Canuti Roberto
Flandriæ comite, custodiæ mancipa-
tur: tandemq; post mactatum sanctum
Regem Canutum, à Cimbris relicto in
Flandria obside Nicolao fratre, do-
nec grandi, quæ promitteretur, pecu-
nia persoluta, ille quoq; vinculis absce-
deret, ad regnum à proceribus reuoca-
tus, in cuius designationem vniuersi
con-

consensêre. Nam cæterorum fratrum, quos plures habebat, fidem in occisum Canutum integerrimam, ducebant latrones suspectam. Itaque apud nullum, quàm Olaum, nefandißimi sceleris impunitatem peruiderunt.

Verùm durante gubernatione regis Olai, adest Nemesis & excandescentia diuina, quæ peremptum Canutum vindicat. Corripuit enim Deus regnum hoc tanta aëris intemperie, vt nihil frugum, aut parum valde nasceretur, per omne tempus regni eius. Etenim verna siccitas semina non prouexit: deinde æstiuus calor, si quid natum erat, arefecit. Aut sanè autumni abundans humor, quicquid fortè vallium beneficio coaluit, absumsit.

Temporum iſta viciſsitudini, non vltioni diuinæ tribuenda viderentur, ſi vicinas etiam prouincias ea lues attigiſſet: aut ſi aliqua intercapedine, per annos decem variaretur. Nunc verò cùm Sueciæ atq; Noruegiæ, ſua ſatis annona proueniſſet, Daniamq; continua multorum annorum fames preſsiſſet, quis aliud cogitare poteſt, quàm vindicem diuinitatem, ob immane ſcelus in Canutũ patratum animaduertiſſe? Ad vindicandum igitur ſe in impietatem huius regni, famem accerſit Deus. Nam & ea Deo ſeruit, quemadmodum cæteræ afflictiones, lues, bella, morbi &c. Ac cogitandum eſt, Deum hoc voluiſſe facere, ſed tamẽ iuſtè. Æquum enim erat, vt ſanguis Canuti innocenter effuſus, non ſineretur inultus. Famem immiſit, vt homines ſentirent,

quàm

quàm grauiter peccatum esset eo homicidio. Habent sanè fames & lues naturales causas, sed nobis perpetuò cogitandum est, motus illos naturæ gubernari Dei prouidentia: & ideo semper ad illam respiciendum est. Quin & Ethnici, licet idololatræ, quando accidebant improuisa bella aut lues, monstra, portenta, procurare & auertere solebant varijs ritibus, vt paßim est videre in histori ys: cogitabant enim à Deo immitti. Non sunt veri Philosophi, qui tantùm in initijs secundarum causarum morantur, nec altiùs ascendunt. Si proximas causas respiciamus, videtur nimia siccitas fuisse. Nam sæpe regio hæc, eo laborauit malo, vt & hoc ipso anno factum videmus. Deus vult pluuias suis temporibus à se expectari: ideoq; in vere

bo suo dixit: Non erit vobis vt in Æ-
gypto, vt poßitis manu vel pede,
Nili aquam deducere quocunq́ volue-
ritis, sed ego vobis pluuiam dabo.
Semper quando grauia peccata gras-
sabantur, claudere solebat cœlum De-
us. Hoc comminatus est in lege sua:
Dabo vobis cœlum æneum, terram
ferream. Ac Psalmus 107. hanc Dei
potentiam mirificè celebrat: Dominus
dum vult potestatem habet, vt flu-
mina exiccet & fiat terra ob sterilita-
tem deserta, & fluenta aquarum com-
mutentur in siccitatem & sitim ip-
sam: Econtrariò terram olim fructi-
feram, immissa salsugine reddere ste-
rilem ob scelera eorum, qui inhabi-
tant eam &c. Peccata ergo perturbāt
quodammodo vniuersam naturā rerū,
terra effœta redditur, cœlū nō dat plu-
uias, lues oritur. Vt rectè dicere poßi-
mus, peccatum perdere vrbes & reg-
na

na. Est totius fundi nostri vera calamitas. Accersũt sibi hæc homines. Deus alioquin ordinẽ naturæ bene constituit, ordo perturbatur ꝓpter peccata, illa tamẽ perturbatio fit Deo gubernãte. Ita etiã quoties nos vrgemur inopia annonæ, semper recurrendũ est ad ipsius mali fontẽ: sicuti periti medici faciunt curaturi ægrotum: alioquin remedia applicare non possent. Et in ea calamitate regni, Sueno Roschildẽsis Episcopus, vir sãctitate memorãdus, inter suos concionabundus sæpe repetiuit: luere populũ piaculare scelus, quod in sanctißimum regem commisissent.

Ac die festo cùm regiam apparari mẽsam cerneret, angustiasq; rei familiaris videret Olaus, sciens quis esset cõuiuarum numerus accubiturus, ingemuit: altiusq; ducto spiritu, omniũ authorem Deum, si quid iræ aduersus populũ concepisset, suo, non populi periculo

satiaret,

ſatiaret, orauit: infeliciſsimum patriæ ſtatum, difficilimum temporis habitum reputans. Quippe tam inops epularum conuiuium, quo famem irritare potiùs, quàm pellere videretur, principum oculis ſubijcere erubeſcebat. Nec difficiles numinis cœleſtis aures habuit. Equidem fati viam, non longum dilatus obtinuit: ſibiq́ mortem, ſalutem patriæ (ſi qua modò parricidis virtus ineſt) pia prece conciuit: ingenuoq́ viuendi pudore, maximæ cladis pœnam auertit. Ita & exitus ac calamitas Olai condocefaciunt, non tantùm homines propter ſcelera affligi: ſed etiam creaturas grauia pati. Hoc eſt Dei iudicium, quod Paulus commemorat in Epiſtola ad Romanos: vbi dicit creaturam ingemiſcere. Ac Oſeæ cap. 2, dicit Deus: Ego exau-

diam

diam cœlum, cœlum exaudiet terram, terra frumentum & oleum, hæc Israelem. Cùm homines Deo conciliantur, cœlis dat benignos influxus, illi adiuuant terram, terra producit vsibus humanis necessaria. Nō existimandus est Deus placari nostris operibus, vt peccata remittat, sed temporarias pœnas remittit, & varia dona concedit.

NOstra reconciliatio cum Christo, non est per sanguinem taurorum aut vitulorum, sed vnius Christi. Sanguis etiam martyrum non reconciliat nos Deo: quomodo ergo sanguis illius, qui malus erat, & fortè inuitus moriebatur Deum placasset? Animaduersum est in fratricidam, ideo Deus pristinam felicitatem restituit.

Dixi

Dixi de temporibus Olai, in quibus religio nullum est exterminium passa, sed iam omnino diuina miseratione firmata, sedem apud omnes sequentes reges, vsque in hæc tempora inuenit. Sed erat nihilominus vera doctrina, opinionibus hominum vehementer corrupta, ambitioneque & auaritia pontificum, non parùm obfuscata, sicut suo loco dicetur, ac nobis omnibus in confesso est. Igitur non alienum orationi huic existimo, quandoquidem Religionis incrementa, haud aliter quàm per seriem regum intelligi poterit, si eo quo incepi ordine, breuiter ex multis paucos adhuc persequar, vt hac nata occasione, res intexere Ecclesiasticas poßim.

Ericus Rex Clarißimus, qui in laniena Canuti, illam rerum inclinationem

nationem prospiciens in Olaum, fuga in Sueciam sibi consuluit, metuens à tyrannide Olai. Sed nunc fortunæ inuersa rota, magnis procerum suffragijs è Suecia reuocatus, regnum subijt, & mox cum rege nouo regni facies innouatur. Quippe tempestiua aëris qualitas, tanta frugum exuberabat abundantia, vt facilè prioris inediæ populum faceret obliuisci. Fuit autem Ericus filius Suenonis, frater Diui Canuti & Olai, natus in patria mea Slangendorpia, vbi in loco quo partu sit fusus, templum & Monasterium iußit erigi, quod adhuc durauit me paruulo, ac eius rudera etiamnum visuntur ibidem, templumq́ue multorum sanctorum reliquijs, sicut consuetum illa fuerat ætate, ornauit: quibus & ille in vrbe Constantinopolita-

na

na ab imperatore Orientali donabatur. Hoc tempore incidit dißidium inter Regem Ericum & Archiepiscopum Hamburgensem Leimarum, sed quibus de causis non ita perspicuè literis proditum est. Sed proculdubio huius controuersiæ causa, extitit arrogantia Archiepiscopi & immodica tyrannis. Initium rei tantæ fuit eiusmodi. Leimarus Episcopus incredibili ambitione æstuans, impudentiáq; audacia & mirabili astutia vsus, quòd videret sibi ansam cumulandi ingentem thesaurum ex his regnis, per suam legationem prudentia Regis interceptam, audaciamque imperandi Regi & his Episcopis, iam prorsus apud Regem irritam, & quòd Rex Ericus sibi vsurparet inuestituras Episcoporum, ac deinde postularet ipsos prælatos, sibi homa-

homagia præstare. Hisce conatibus optimi Regis, pontificalibus cristis fisus, acerrimè se opponit: ac in Regem optimum, Anathematis sententiam distringere nititur. Sed pius Rex Ecclesiæ fulmen metuens, quanquam nullius sibi conscius criminis, ne tantam pœnam subiret, ad Romanum præsulem appellat: atq; ipsemet solenni stipatus comitatu, iter in Italiam suscipit. Cæterùm causa sua dirempta atq; sedata, orat vt Pontifex Romanus Ecclesias sui regni, quæ satis multæ essent, è iurisdictione Hamburgensis Ecclesiæ eximat, ne denuò similes eius conatus experiri cogeretur. Verùm Pontifex hoc responsi dat, se breuî missurum Cardinalem, qui earum regionum conditionem exploraturus, eaq; facturus esset, quæ ex re Eccle-

siæ futura essent. Quod accidit circa annum Domini 1100.

EX qua historia palàm cernere licet, quòd quemadmodum illis temporibus Imperator vnus, summa authoritate & potestate, in Occidētali regno politicè excellebat, iusq́ publicè administrabat: Ita Papa quoq́ Romanus vnus, res Ecclesiæ non modo intra Romani imperij terminos: verumetiam extra, in vniuerso terrarum orbe, gubernare præsumebat, authoritate multò sublimiore, potestateq́ longè auctiore quàm Cæsarea. Imò eò audaciæ iam processerunt Papæcæsares Romani, vt vnum pedē in templo, alterum verò in curia tenerent, & quasi perpetui Dictatores ipsis Cæsaribus, Regibus ac principibus terræ, leges atque

sen-

sententias dictarent, quid fieri vellet. Neq; verò terrifica emittebant fulmina in Reges & principes tantùm: sed tam firmis vinculis, suam hanc libidinosam dominationem constrinxerant, vt non modò ciuitates: sed regiones, nationes, imò totum etiam Romanum imperium possent concitare, sursumq; ac deorsum turbare, donec suis voluntatibus, summorum hominum supplicationibus & adorationibus, monstrorum istorum teterrimorum esset abundè satisfactũ. Nec potuit vnq̃ ipsorum ambitio, in augenda potentia mundana exsaturari. Capitis autẽ mores omnia membra secuta sunt. Nam Episcopi, & reliquum Canonicorum, sacrificulorum & monachorũ vulgus, plùs bonis temporalibus administrandis, & mundano splendori atque potentiæ studebant, quàm do-

ctrinæ ac cultibus diuinis. Ac ſanè vti antè dixi, ad ſuam tyrannidem augendã, habuit Antichriſtus Romanus ſuos Dromones egregios, peritiſsimos eiuſmodi aucupiorum, audaces & temerarios, qui præmijs & honoribus illecti & irretiti, ſedulam operam in omnibus nationibus & regnis nauabant, vt Antichriſto Romano Deo ſuo, loca, facultates, & ipſos quoq́ue reges ac principes ſubijcerent. Talis fuit Dromo Leimarus hic, qui in Regem Anathematis fulmen miſit, inq́ hoc vnum ſummo ſtudio, arte ac vi incubuit, vt regna hæc ſeptentrionalia in poteſtatem Papæ redigeret. Ac vt reges toto terrarum orbe clariſsimi, omnibusq́ nationibus ac Imperatoribus formidabiles, impium ac impurum Papam, eiusq́ue Dromones adorarent. Hæc quàm

clariſ-

clarißimè perſpecta & cognita habe-
re, permagni refert. Nam diſcer-
nenda ſunt opera Diaboli & Dei:
cuilibet attendendum eſt, vt ſit in Ec-
cleſia vera Dei, & non ſit mem-
brum Eccleſiæ malignantium. Exe-
undum eſt, ex mandato omnipoten-
tis Dei, è regno Antichriſti, do-
ctrina, inuocatione, & publica con-
feßione, ſub pœna temporalium ac æ-
ternorum ſuppliciorum. Clara eſt e-
nim iſta vox Iohannis: Exite ex il-
la populus meus, ne participes ſitis
delictorum eius, & de plagis eius non
accipiatis. Apocalyps: 18. Item,
Si quis adorauerit beſtiam & imagi-
nem eius, & acceperit characterem
in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bi-
bet de vino iræ Dei, quod mixtum
eſt mero in calice iræ eius. Et cru-
ciabitur igne & ſulphure in conſpe-

ctu angelorum sanctorum, & ante cō-
spectum agni, & fumus supplicij eo-
rum, ascendet in secula seculorum, A-
pocalyps: 14. Miserabilis & prorsus
lugubris est historia, quomodo Henri-
cum Quartū, Imperatorem, afflixerit
& deformauerit Gregorius septimus,
antea Hildebrandus, seu potius Hel-
lebrand, id est titio infernalis, dictus,
sicut ex Scafnaburgensi, pontificiæ
religionis scriptore notum est. Nam
cùm Henricus falsò accusatus, ad ex-
piandum delictum suum & noxiam
inflictā Apostolicæ sedi, ad castellum
vbi Papa fuit venisset, cùm castellum
illud triplici muro septum esset, Impe-
rator intra secundum murorum ambi-
tum receptus, foris relicto omni comi-
tatu, suoq; deposito cultu regio, nihil
præferens regium, nihil ostentans
pompalicium, nudus pedibus, ieiunus à
mane

manè vsq; ad vesperam perstabat, Romani pontificis sententiam præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quo pacto facilior aditus ad ipsum Christum, quam Romanum pontificem patebat. Quarto demum die in conspectum Papæ admissus, post multas hinc inde dictas sententias, tandem his conditionibus excommunicatione absolutus est, vt ad arbitrium Papæ vel retineret regnum, vel æquo animo deponeret. Quod tandem ipsi eripuit, Rodolpho Sueuiæ duci auream coronam hoc versu exornatam, mittens.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Est itaq;, vt dixi priùs, historia Hērici lugubris, quā absq; lacrymis nemo cordatus legere potest. Quæ, vt breuiter dicam, docet, quomodo impius papa inaudita superbia, procacia

& malicia, Imperatorem Romanum tractârit, exsibilarit, & verè spectaculum ac ludibrium angelis & hominibus proposuerit. Qui Henricus Imperator occidentalis, omnibus tandem facultatibus ac ministris exutus, fertur rogasse Episcopum Spirensem, aliàs illi familiarissimum, vt præbendam sibi in Ecclesia Spirensi, ad vitæ tempus, permitteret. Vbi ipse Henricus paulò antè gloriosum Monasterium Diuæ Virgini fundauerat: Sed Episcopo renuente, Cæsar suspirans cum lachrymis fertur exclamasse: Miseremini mei saltem, vos amici, quia manus Domini tetigit me. ô crudelitatem, ô inhumanitatem pontificum: siccine vos docuit scriptura sacra, vt scilicet calamum conquassatum iudicij austeritate, ita penitus conteratis? An similem

milem Petrus Apostolus, cuius vobis primatum vendicatis, erga reges & principes gesśit affectum? Aut, annon regulam tractandi infirmos ac desperabundos tradidit saluator Christus: discite à me, quoniam mitis ego sum & humilis corde? vbi igitur frons, aut pietatis vel misericordiæ vllus locus?

Ita Romani antistites in superbiam elati, semper effrenata quadam præsumptione, in horribiles blasphemias & anathemata proruperunt, tam in principes, quàm in eorum subditos, in se tamen & in sua capita potiùs reditura, quàm nocitura illis. Nec hoc satis, sed & multa sibi de iuribus Imperij vsurparunt, vt ciuitates Romandiolæ, Ferrariam, Bononiam, & alia quàm splendidisśima loca. His adde dementiam & insaniam

saniam maximam, nempe quòd omnes mundi principes & populos, pronunciarunt suæ iurisdictioni coactiuè subiectos. Et hoc credere tanquam verum, esse omnibus & singulis de necessitate salutis. Hac credulitate tam fallaci ac subdola, impulsus Constantinus Imperator, & post eum Reges ac principes alij, suos fasces, sua sceptra, suaq́ colla regno Antichristi submittentes, sub ramis eius veram pacē, quietemq́ quærentes: magisq́ horū veteratorum nugis, quàm ipsi Christo, & eius sancto Euangelio, fidem adhibentes, sæuissimis se subinde fluctibus, asperrimisq́ casibus exposuerunt. Deinde & Carolum illum cognomento Magnū, Pipini filium, impurus & turgidus Papa, qui iamdudum materialē Petri gladium euaginauit, vibrauitq́ in quosuis suæ tyrannidi

re-

reluctantes, Augustum nominare voluit, imperiales illi titulos, dignitatē, autoritatemque tribuere, & Occidentis Imperatorem pronunciare. Adhæc deficiente posteritate ac successione Caroli legitima, in Otthone tertio, Gregorius quintus natione Saxo, electiuum deinceps vel potius pro sua, vendibile, authoritate, fecit Imperiū, & de Imperatore deligendo sanctionem retulit, vt videlicet apud septem designatos Germaniæ proceres, perpetuò ius esset eligendi principis. Cuius examinatio & confirmatio, pertineret ad Romanum Pontificem, per quem & Romanorum Rex & Cæsar appellaretur, tum demum, Augustus & Imperator habendus, cùm à Romano Pontifice solenniter inunctus & consecratus foret, & Imperij diadema acciperet. Itaque hæc superbia pon-

tificum

tificum in Imperatores occidentales, iam vltra annos septingentos continua serie durauit, vsq; ad Carolum Quintum, ac ad præsentem Rudolphum. Quin & Gregorius X. tumidè mandauit, principibus electoribus, Ecclesiasticis quidem, sub pœna priuationis officij, secularibus autem sub pœna excommunicationis, vt sine cunctatione se resoluerent, & Cæsarem pronunciarent, quem ipse iuberet, alioquin ipse eorum suppleturus negligentiam, sua hoc ipsum authoritate facturus esset, & officio. Sic etiam gloriantur Romanenses Papæ, à se omnes Reges florentissimi Galliarum regni, à Pipino, in hodiernum vsq; diem, sceptra, titulos, dignitatē & authoritatem regiā, Ecclesiastica consecratione & inunctione, velut legitimo ritu suscepisse.

Ac

*Ac postremò, vt tandem hanc nar-
rationem, de arrogantia Paparum
abrumpam, anno septuagesimo quar-
to supra millesimum centesimum,
nescio ob quam singularem, aut in-
iuriam, vt quidam volunt, Ecclesiæ
irrogatam, hoc sanciuit Papa, vt
nemo deinceps Rex Angliæ nomina-
retur, qui à Romano Pontifice non
esset Rex appellatus, illudq́; effecit,
vt sequentes Reges Angliæ, iura reg-
ni sui, velut in feudum agnoscerent
à Romanis Pontificibus. Hæc te-
stantur Blondus, Pius, Tubingen-
sis, & alij non pauci Ecclesiastici
scriptores. Et sanè vt hanc suam in-
solentiam confirment Pontificij, quæ
de Christo in scripturis dicuntur, &
eius regno spirituali, illi ad se rapi-
unt & insulsè torquent, vt illud E-
saiæ: venient ad te curui filij eorum,*

qui

qui humiliauerunt te: Et adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi. Item, ponam te ex derelicta, humiliata & odio habita, in superbiam seculorum & gaudium in generatione & generationem: & suges lac gentium, ac mamilla regum lactaberis &c.

Eodem affectu & Antichristi Dromo Leimarus, Regem optimum persequitur, ac insolentissimè in illum agit. Nec mirum cùm & Clemens tertius, Danorum plebem vniuersam, suis sacerdotibus, coniugia decernentem etiam excommunicauerit. Ac Hartuicus Episcopus Bremensis, non ita diu postea, turgida superbia & dominandi cupiditate incensus, anno 1164, eadem de causa VValdemaro primo, in concilio Vesontij in Burgundia indicto litem intendit, coram

ram Friderico Imperatore, vbi in præsentia Imperatoris & Antipapæ victoris, queritur, quòd Ecclesia sua olim legationis dignitate super omnia Aquilonis regna prædita, misere hanc iurisdictionem per indulgentiam priorum Paparum amisisset. Et quoniam Rex VValdemarus ibi adesset, sperabat Hartuicus decreto concilij constitutum iri, vt iterum tam Rex, quàm Episcopi, tanquam tributarij subderentur suæ tyrannidi ac auaritiæ. Sed prudens Rex VValdemarus, hanc ambitionis rabiem præsentiens, spreto concilio, cum suis in Daniam redit, ac hanc iurisdictionem & sibi & posteris Regibus reseruauit. Quod & Ericus Rex tentauit apud Papam, ac impetrauit: quanquam in tempora Nicolai Regis ea res dilata est.

Ita ipſum Antichriſtum, ex hoc tam turgido faſtu, haud aliter ac ex rapaci vngue leonem truculentum, cognoſcere poſſunt pij omnes. Ex quo diſcant Eccleſiæ Dei vigiles & præcones, tam tetras & deteſtandas ambitiones pontificiorum non modò abhorrere: ſed etiam maiore cura & zelo refutare, præſertim quia hoc nunc in clara luce verſatur, pontificem Romanum ipſiſsimum eſſe Antichriſtum, quem Chriſtus ſpiritu oris ſui patefecit.

Deinde quia magiſtratus eſt pars Eccleſiæ Dei, atq́ omnem ſuam operam, non ad dedecorandum & opprimendum: ſed potius ad ornandum gloriam Dei conferre debet. ô quàm ſunt amentes illi homines, qui coram Antichriſto, tam diro portento, genua flectunt, ſeq́ illi iuramentis de-

uouent,

deuouent, vt imperia huius mundi vel obtineant, vel nanciscantur. Qui etsi prætextus fingant, & postea quædam veræ pietati, quod quidem ad externam speciem attinet, similia faciant: tamen ea ratione sese iugo Antichristi non exoluunt, ac multò minùs ab ira iudicis Christi sese liberabunt.

Cæterùm quia hac etiam ætate, & diu antea, euanuit doctrina de vero Dei cultu, & de inuocatione eius, quòd Deus vbiuis locorum in spiritu & fide rectè poßit inuocari, & falsa persuasio mentes hominum subijt, quasi alius locus alio sacratior sit ad inuocationem, & quasi in alio atq; alio loco sancti demortui, magis sint præsentes & propitij. Ideo ex alio in alium oberratum est locum, & modò ad huius mo-

dò ad illius sancti, seu potius Cacodæmonis opem implorandam festinarunt miseri mortales. Sic Carolus Magnus, Turones ad Sanctum Martinum, orationis gratiâ profectus scribitur in annalibus Francorum anno 800: Ac alij in alia loca, quemadmodum & Ericus Rex, religioso voto intra se concepto, statuit inuisere Dominicum sepulchrum, vrbẽque Hierosolymam, quam illa ætate, cum commilitonibus suis Godfridus in Christianorum redegerat potestatem. In quo itinere Ericus Pontifici Romano misit Oratores, qui renouarent postulata. Ac interim dum Rex bonus & pius, cum Regina quæ comes fuit istius peregrinationis, in Cypro moritur, mittitur pontificius legatus in hoc regnum, vt vrbes regionis inspiceret, cui complacuit vt

in

in Lundiam, Scaniæ vrbem, honorem collocaret metropoliticum, in personam Asceri, morum, generis ac nobilitatis splendore viri clarißimi, qui Richardo circa annum Domini 1090, in Lundensi Episcopatu successerat.

Itáque videmus causam dißidij, inter Archiepiscopum Leimarum & Ericum Regem, fuisse non tam religionem, quàm ambitionem honoris ciuilis. Quod malum, dißidium semper in Ecclesia peperit. Sunt grauia mala dißidia & seditiones: ac ratio est, quia cùm diuiditur corpus quoddam, non potest fieri sine magno damno. Est enim corpus aut ὁμοιομερὲς aut ἑτερογενές. Si corpus ὁμοιομερὲς diuiditur, vt aqua, sanguis, est diminutio quidem: sed totum & partes manent. At

ſi diuidas corpus ἑτερογενὲς, natu-
ra totius perditur & partes quoq́ :
vt ſi auferes partes vel cor ab ani-
mali, deſinit corpus eſſe, & partes
etiam pereunt. Reſpublica & Ec-
cleſia corpus quoddam eſt, quod con-
ſtat diuerſis partibus, ſcinde corpus
& perit totum, atq́ hoc faciunt ſchiſ-
mata, ambitiones & hæreſes. Hæc
mira videntur: attamen ſæpe in vi-
ta, illa fieri videmus. Et actum
ſanè eſt noſtro ſeculo ſæpius, cùm à
Germanis, tum ab alijs principibus,
cum Papa vt de ſuo iugo, & de ſuis
grauaminibus aliquid remitteret, at
is nunquam ſe adduci paſſus eſt, vt
de ſua duritie atq́ acerbitate quic-
quam detraheret: ſed quotidie pergit
ſequi ſuam ambitionem, quam nunc
etiam recens declarauit in fulmine
Regis Nauarræ, principis laudatiſſi-
mi,

mi, ac Dei singulari prouidentia, ad gubernationem regni Galliæ nuper euecti. Est itaq; Papatus res ambitiosa, quæ sub Phoca initium habuit. Is quippe Mauricio hero suo interfecto, vt gratiam apud Episcopum Romanum iniret, illum omnib: Ecclesijs & Episcopatibus totius orbis præfecit, quò ab illo in honore haberetur, & imperium malè partum, illo approbante retineret. Deinde laceratio Eucharistiæ, lingua peregrina in templis, septenaria multitudo Sacramentorum, Lex de cœlibatu, transsubstantiatio, magna ordinum turba, missæ comœdia, pompa plusquam persica, quâ crustulum circumgestant & seruant, aqua lustralis, rasura, imagines, mortuorum inuocatio, purgatorium, cultus reliquiarum, indulgen-

tiæ, casus reseruati, confeßio auricularis, proceßiones, suffitus: omnia inquam hæc illa ætate, non minùs quàm nostra apud Papistas fuerunt in vsu. Ac quod iam Dei beneficio, huiusmodi Satanæ laruæ, D. Martini Lutheri vigilantia, & magnis periculis hinc auersæ, turbationis & seditionis accusamur, qui Christi verbum, non monstrifici Papæ authoritatem & peßimam consuetudinem, amplectimur, nihil moramur. Cùm interim veras notas Ecclesiæ habeamus, & propugnemus verum DEI cultum, recipiamus diuinas literas, sacramentis vtamur integris, vt à Christo fuerunt instituta, tria Symbola recipiamus, minimè creaturas, simulacra, idola colamus &c. Hæc in his progreßionibus consideranda sunt. Nunc

verò

verò nisi temporis angustia interpel-
laret, prolixiùs de reliquis regibus di-
cerem: sed quia nulli memorabiles
Doctores, in illorũ gubernatione inci-
derũt: sed potius pugnaces & mauor-
tij pugiles, qui libentiùs armis quàm
religione & iudicio res decernerent
Ecclesiasticas: breuior nunc ero. In-
terim ad considerandam fortunæ vo-
lubilitatem & inconstantiam, pro-
sunt etiam exempla nonnullorum re-
gum sequentium. Nicolaus Sueno-
nis filiorum natu minimus, frater
verò Erici & inter fratres, Canu-
tum, Olaum & Ericũ Reges, postre-
mus, suscepto regno, adeo animum
ab omni fastu auersum habuit, vt
nihil ex pristina sua mansuetu-
dine decerperet, totamq́ue vitæ
præteritæ consuetudinem retinens,
cum fortuna animum, vt aliàs inter

mortales consuetum est, non mutauit. Equitaturam suam paucorum numero comprehendit, ne grauis prouincijs incumberet. Hic vxorē duxit Margaretham Ingonis Suecorum Regis filiam, ex qua Magnum suscepit, hominem perniciosum, & tam suæ quàm paternæ euersionis authorem.

Interim relicti erant ex Erico Eïegod, Canutus, Haraldus & Ericus. Inter quos, cùm magna cum laude, præfecturam Slesuici administrasset Canutus, ac pro defensione prouinciæ suæ fidei commissæ, bella fortißima cum Henrico VVandaliæ regulo geßisset, tandem propter conspicuas & regias virtutes, Henrico VVandalo consanguineo tamen suo conciliatus, tanta morum similitudo, familiaritas & sincera charitas

tas

tas inter eos interceßit, vt etiam rogaret Henricus Canutum, (quòd suorum filiorum ignauiam prospiceret) ditionem sibi Canutus post sua fata haberet commendatam. Cui tandem diuinitùs etiam ditio illa cessit. Nam quamdiu superfuerant liberi ex Henrico, Canutus amici functus munere, consilio & auxilio illis non deerat. Verùm vbi defecerunt morte subtracti, permittente Leidero alij Lotharium vocant. priùs duce Saxoniæ, sed iam Imperatore Augusto, Canutus VVandaliam regebat, in tantum commendatus regi, vt coronam illi imponeret, nominans regem Obotritorum.

Fuit autem ducis Canuti virtus eximia, ac præsertim pietas & bonitas apud omnes illustris: verùm quia virtutis ac pietatis amantes, hoc habent

quodammodo proprium, vt quocunque se conferant, semper incidant in Doëgos & inuidos. Hæc enim eos crux semper persequitur, & præsertim probitatis ac pietatis amantes. Ita & Canutus Dux, ac Obotritorum Rex, suum statim habet æmulum, Magnum nimirum, patruelem suum & Nicolai Regis filium. Eluxerunt in hoc Magno, in adolescentia etiam præclaræ virtutes, quas tandem inuidiæ tabes prorsus extinxit.

ETenim Christi zelo detestatus Ethnicas superstitiones, Dæmonicolis instrumenta perfidiæ ademit. aggressus enim insulam quandam, quam Iouialem appellant, malleos abstulit, quos fabricata antiquitas, toni-

tonitrua imitari volebat. Hæc pietas Magni non fuit diuturna: sicut impiorum virtutes emicant quidem interdum, sed dicto citiùs euanescunt. Nam rabie dominandi, & instinctu Diaboli, cum paucis coniurationem init aduersus Canutum. Ac anno Christi 30, post 1100, prope Ringstadium in eo loco, vbi fons fertur exilijsse, & adhuc cum fano conspicitur, ab ipso Magno & coniuratis miserrimè trucidatur Canutus, vir suæ ætatis pijßimus & præstantißimus. Vixit autem adhuc, Ascerus Lundensis Archiepiscopus, qui apud fratres Canuti proceresque regni, quibus latrocinium hoc, magnum dolorem incußit, sedulò egit, vt conceptam in regem indignationem mitterent.

Cæte-

CÆterùm vindicante tantam improbitatem iusticia diuina, Rex Nicolaus alioquin non malus, sed filio malo plus æquo indulgentior, Slesuigæ admodum barba cana, à ciuibus trucidatur, multis diris execrationibus in caput eius replicatis, ob filij parricidiũ. Ipseq́; parricida Magnus, regnũ quod vi & armis occuparat, interfectoq́; viro iustißimo ac sanctißimo tyrannicè inuaserat, amittit, ab Erico fratre Canuti paulò antè occisus. Ita Deus parricidium nefarium, supplicio duorum regum damnauit, & Rempub. libertatemq́; populi Danici, ex faucibus cruentißimi latronis euulsam, clementer respexit. Ex quo videmus impiorum gaudia ac tripudia in mœrorem ac luctum abire. Inprimis verò consideranda sunt sortis huma-

humanæ volubilitas & inconſtantia: quâ fit vt modò hi triumphent & ſint in precio, modò alij his oppreßis euehantur: idq́ tam in priuatorum hominum, quàm in præpotentium regum atq́ populorum exemplis cernitur. Romæ erat in precio Marius: mox hoc oppreſſo fuit illuſtris Sylla: inde Pompeius, deniq́ Cæſar. Nunc hodie alterum Craſſum ob magnitudinem facultatum vidimus, vel Crœſum potiùs: cras eundem alterum Codrum & Diogenem dices? Magna fuit Perſei Regis Macedonum potentia: ſed quis eo miſerior tum eſt habitus, cùm à Paulo Æmilio in triumphum duceretur? Summo in pretio & honore G. Marius, & G. Pompeius apud Romanos & gentes omneis tum fuêre, cùm pro magnitudine rerum geſtarum meritò triumphabant

bant

bant, verùm vbi fortuna rerum domina immutata est, nihil Mario miserius, dum Minturnarum cœno oblitus, è tetro carcere vbi ad pœnam seruabatur, in Africam paruo nauigio confugit. Quàm turpe spectaculum fuerit & horrendum, videre Magnum Pompeium, cuius nutu, totus ferè orbis terrarum ad arma commouebatur, eunuchorum & seruorum manibus trucidari, post acceptam bello Pharsalico cladem? Dicere illud Virgilianum hîc licet: Iacet ingens in littore truncus: Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus. Inprimis Athenæ & Charthago, volubilitatis fortunæ eius, exempla multa ac magna suppeditarunt. In Imperiorum ortu & occasu, multò maximè quod dicimus eluceßit. Primi in orbe lon-

gißimè

gißimè & latißimè dominati ſunt Aſſyrij: his deinceps oppreßis Babylonij & Medi, vtriq́ue ſub iugum actis, Perſæ, mox Macedones, tandem Romani.

In ipſo demum Romano Imperio, multæ & variæ ſunt exortæ gentes, quarum aliæ alijs temporibus ſunt tumultuatæ, veriùs quàm dominatæ. Quæ qui conſiderant, facilè videre poſſunt humanas res: quantæcunq́ue vnquam fuerint, tamen tandem fumi inſtar euaneſcere. Et plurimùm prodeſt hæc regnorum modò florentium, modò corruentium collatio, & Eccleſiæ militantis, atq́ue hoſtium eam oppugnantium conſideratio. Hæc etiam euentuum cognitio reprimit ſuperbos, facitq́ue cautos ac prouidos &c. Sed iam regni

ni habenas gubernans Ericus, filius Erici Eïegod, & frater Canuti Martyris, religionem, quam VVandali toties abiecerant, ipse in eadem loca propagare & restituere contendit, eamq́ ob causam immenso belli apparatu, Rugianos petit: qui Regis armis territi, deditionem pactis conditionibus fecerunt, nimirum vt reiecta perfidia, Christi fidem amplecterentur, & baptizati Antistitem reciperent sacrorum. Erat autem in vrbe Archonensi, simulacrum horrenda superstitione ab vniuersa natione cultum, quod corrupta lingua Suantouitum, pro sancto Vito appellauêre. Nam à sancto Vito huius idololatriæ occasionem sumpsêre Rugiani. A memoria enim Diui Ludouici Imperatoris eius nominis primi, cùm operante Anschario,

Corbriensi primùm monacho, ac deinde Archiepiscopo, fides in his regnis plantaretur: eodem cœnobio egreßi & alij fratres, exemplum Ansgarij secuti, etiam in VVandalia verbum vitæ disseminauerunt. Ac primus apud Rugianos Doctor, Vitus hic fuit, cuius nomen retinentes, haud aliter quàm recentes Iesuitæ, primum suæ sectæ authorem Ignatium, inuocant & colunt: ita & hi Rugiani, cũ fidem in Deum reijcerent, Viti saltem memoriam retinuerunt, & ipsum pro Deo ac patrono habere cœperunt. Sed baptizatis ad mare multis, antistitem illis reliquit, reuersurus in regnum Ericus. Sed qua mente religionem amplexi sunt, euentus declarauit. Nam vbi hostis declinauit, pulso præsule, fidem cum religione reijcientes, ad simulacrum percolendum regreßi

M sunt

ſunt. Fuit itaq́ue Ericus, Rex bonus & religionis propagator: cuius imperium breue quidem fuit. Nam à Plogo quodam milite, cùm ſubortum in populo tumultum, eleuata manu ſedare vellet: Rex inermis ac prorſus nihil periculi metuens, confoditur. Itaq́ue quanquam magiſtratui prima cura eſſe debeat, de interna animi panoplia, quam Paulus deſcribit ad Epheſios: arma tamen nequaquam contemnenda ſunt. Sunt enim opera & inſtrumenta Dei, & ſemper metuendæ ſunt inſidiæ etiam ab amicis ac ſubditis, ſicut exemplum Erici, ac Henrici Regis Galliarum à Monacho nuper extincti, docent.

Erico ſuccedit nouus Rex, etiam dictus Ericus, Erici magni nepos, huius tempore, vt & ſuperioris Regis, Epiſcopi non parùm certabant

bant de Archiepiſcopatu Lundenſi, multumq́ cùm ſe inuicem, tum Reges vexârunt Epiſcopi, quæ res etiam ſua incommoda regno huic peperit. Verùm & gubernatio huius Erici nec fuit diuturna. Nam febri ſe implicitum perſentiens, regiam veſtem cucullo permutat, ac vitam in Fionia ponit. Sed interim ex his & nonnullis qui ſequuntur Reges, vno VValdemaro excepto, apparet, quòd vbi ſint ſuperſtitiones pugnantes cum Dei verbo, vbiq́ languent officia principũ & populorũ in vera inuocatione Dei, & prìma ac ſecunda Decalogi tabula vrgenda: ibi nulla ſtabilia regna eſſe poſſunt. Itáque quemadmodum olim in regno Iſraëlitico, crebra fuit Imperij conuerſio, crebræque mutationes, ita vt 33. annis ſex fuerint Reges in Repuplica Iſraëlitica

 ëlitica

ëlitica. Nam Zacharias menses sex, Sellumus vnum tantùm, Manahemus annos decem, Phaceia solùm duos annos, vnus Phacees, filius Romeliæ viginti annos regnum tenuerint: ita si quis inspiciat temporum momenta, eandem gubernationis ac conuersionis instabilitatem, in his regnis septentrionalibus considerabit, & subinde longè maiorem. Ac iã Erico extincto, Sueno, Canutus & VValdemarus diu inter se perfidia, ambitione & armis certârunt: donec duobus extinctis, VValdemarus primus solus regnum obtinuit: & religionem rursus apud Rugianos profligatam, prorsus exciso idolo Suanteuito, restituerit. De prædecessoribus vti iam diximus, mirum dictu est, quàm breui temporis spacio, regna hæc gubernârunt. Nam vt sanguinolenti

ti plærig; hi erant reges, & sangui- nem humanum dominandi ambitione effundentes : ita breui temporis spa- cio, eorum gubernatio durare potuit, quòd sanguis violenter effusus, & subinde nullis aut naturæ, aut sang- uinis ipsius habitis gradibus, iniquis armis expetitus, sine vltione diuina euanescere non potuit.

Quæ res ostendit imperia, acqui- sita & administrata nefarijs modis atq; artibus, esse breuia & momenta- nea, tyrannis ipsis exitio ac dedeco- ri, populis oneri maximo & tan- dem intolerabili. Breuia sint neces- se est, cùm nec Deo nitantur, nec iure gerantur, nec beneuolentia te- neantur. Quo fit, vt iusto iudicio Dei tanquam puluis, vi venti disijci- antur, & instar ceræ liquescant. Ty- ranni ipsi dum viuunt, anguntur metu

perpetuo, insidijs circumuenti, miserrimum vitæ finem sortiuntur, velut ille dixit.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci: Descendunt Reges, & sicca morte tyranni. Porrò populis ipsis esse grauia, & tandem fieri intolerabilia ista imperia, quis ambigat? Nam si illorum ortum spectes, inde exoriri tyrannis omnis solet, quòd ad illorum ipsorum scelera conniuetur, illorum cupiditatibus indulgetur, dum confirmata potentia quiduis audeant atq; faciant. Quæ res quantum creet periculum, quanto premat metu miseram plebem, dici non potest. Ipsi in imperio cùm fuerint, vi oppressos tenent & seruitute ciues: vnde nulla potest esse cuiquam cum ipsis societas, nulla etiã, inter ipsos ciues coniunctio, sed summa

ma distractio. Postea verò sublato ty-
ranno, cùm libertatis spes quædam esse debeat, plerumq́ cernimus manere tyrannidem, vel ea ipsa, quæ oppressa videbatur, aliam duriorem exsurgere. His illud adde, quòd qui prioribus vel tantillam operam nauauerint, vel visi fuerint aliquantillum deferre, hi cùm suspecti fuerint succedentibus, aut cum ipsis pereuntibus pereant, aut aliquò profugiant miseri, aut rerum omnium periculum incurrant necesse est. Sin ab illa suspicione sint liberi, coguntur tamen nihilominus vel repugnante cõscientia, ad omnia eorum dicta atq́ facta, applaudere, aut crudelißimè excruciati interire. Ac si quid cum ipsis etiam ipsorum culpa acciderit controuersiæ, coguntur non solùm de suo cedere: verumetiam omnes quamtumuis

uis intolerabiles iniurias dißimulare.

NOtum est quantam quamq́ atrocem iniuriam, Harpagus ab Astyage sibi factã, dißimulare necesse habuerit? Sic sunt animis comparati tyranni, vt neq́ disceptatione vinci se, neq́ vllo publico iure coërceri, neq́ etiam amicis monitis, quò minùs quicquid libet faciant, cohiberi sese patiantur. Ac quoniam nec Deum reuerentur, nec iura ac leges spectant, nec naturam hominum retinent, pro nihilo ducunt, periculum capitis inferre quibuslibet: qua de causa, quò longiùs ab his absis, hoc magis in tuto fueris. Cùm ergo huiusmodi imperia non poßint non esse asperrima: quanto maiori fuerint his oneri, quibus tam crebrò & non sine sanguine mutata sunt, nemo prudens re-

rum

rum humanarum spectator potest ignorare. Etenim horrenda sunt & truculenta, quae eduntur in huiusmodi lanienis spectacula. Eiusmodi erant lanienae, cùm Abimelech 70. fratres occiderat, & multa penè quotidie latrocinia patrarentur, & Sichimũ oppidum expugnaretur, & in eius turri mille homines suffocati fumo perirent. Itemq; Athenis, cùm ciuitas triginta tyrannorum imperio pressa teneretur, & plures ciues intra octo menses trucidarentur, quàm antea toto decennio ab hostibus occisi fuissent, & iussae filiae in parentum occisorum cruore saltare, se praecipites ex ijs locis dedissent. Item Romae cùm Sergium Galbam, Ottho occideret, rursus Ottho superatus praelio à Vitellio, qui Germaniam rexerat, sibi ipsi mortem consisceret,

Vitellius aduentante Vespasiano, à fuga atq́; latebris, in quas se miser abdiderat, extractus, à militibus interfectus, & cadauer eius à canibus laceratum esset.

His rebus gestis, ferè mutationes in his regnis similes fuerunt, quando intra 20 aut 30 annos interdum tres, imò sex aut decem ferè reges regnum hoc gubernauerint, vnus post alium nefariè occisus. Hæc exempla sunt iræ diuinæ, in humanam ingratitudinem atque contumaciam, grassantis, quæ monent, vt si numinis obseruantia nolimus, saltem tantarum calamitatum metu, nos ad vitæ emendationem duci patiamur.

Interim quia diuina benedictione hoc seculo, diuturna ac stabili

regni

regni possessione, perfrui datum fuerit, piæ recordationis sanctissimo Regi, nostro Friderico II, eius pijssimo parenti, & aliquot eius familiæ regibus, quorum posteriores pij Reges, ad 30 ferè annum regnârunt. Hæc fortunæ stabilitas, quoniam diuinitùs existit, facilè fidem facit, imperia, quæ & iure sint acquisita, & rectè riteq; administrentur, diuinitùs prouehi & conseruari, proptereaque esse diuturniora.

Idq; testantur omnium gentium annales & historiæ. Nebuchadnesar Magnus, vtcunq; bonus & religionis sincerioris patronus, qui circiter quadraginta quinq; annos regnauit. Balthassarus autem nepos eius, iners, vinosus & impius homo perbreue regnum obtinuit. Cyrus qui maxima dedit Ecclesiæ beneficia, quique belli

paciśq;

pacisq; tempore boni principis offici-
um fecit, triginta annos regnauit:
Cambyses eius filius, qui in Ecclesiam
impius, in mortales reliquos iniuri-
us & immanis fuit, vix octenne reg-
num obtinuit. Caius Cæsar oppres-
sæ ab se patriæ, dominatione vix
quinquenni frui potuit. Augustus,
quem ferunt voluisse patriæ liberta-
tem reddere, quinquaginta annis
diuturniùs habuit imperium. Econ-
trà sin ipsos quoq; spectes pontificios
Romanos, qui præpotentis huius &
gloriosi Imperij sedem Romam, inau-
ditis & stupendis artibus iam olim
acquisitam, hactenus obtinuerant:
ita vt & vrbis & orbis domini ha-
beantur, sanè testantur eorum anna-
les & historiæ, perpaucos Papas diu
sedisse. Sedere enim dicuntur verè
ac propriè, qui non solùm regnant,
vt

vt domini dominantium : verume-
tiam ſedendo, vt priſci Romani, vin-
cunt : quando partim alieno labore
partis bonis aluntur , partim eorum ,
quos ipſi inter ſe committunt, Chri-
ſtianorum principum incommodis
regnum ſuum, mirum in modum au-
gent. Bonifacius tertius , is qui ti-
tulum œcumenici Epiſcopi, primus ab
Imperatore Phoca obtinuit, non mul-
tùm vltra nouem menſes : Ioannes
octauus , qui muliebri quoq; ſexui, in
illam ſedem aditum fecit , & penè
Semiramis populi Chriſtiani dici me-
rebatur , duos annos tantùm , &
menſem vnum & dies quatuor : A-
drianus Tertius, qui primus id, quod
ante eum Nicolaus primus fruſtra
tentauerat , vt ad electionem Papæ
aſſenſus Imperatoris non requirere-
tur , obtinuit , vnum tantùm annum,

&

& duos menses illam sedē tenuerunt. Quid verbis opus est? perbreuis plerorumque omnium dominatio fuit, & habuit hæc sedes adeo crebras successiones, vt continuatæ successionis nomine, eos tantopere gloriari minimè sit admirandum. Sed etsi constet multis bonis breuia, contraq́; nonnullis malis principibus longa fuisse imperia, non vsquequaque esse certam illam regulam: tamen excipi contrà potest, eos populos, quibus id accidit, vel indignos fuisse, qui bono pioq́ue principe diu fruerentur: vel quia seruitutis iugo paucis annis ad vitæ emendationem adigi non possent, iusto Dei iudicio diutiùs affligendos fuisse: Et hac de causa huiusmodi narrationes in historijs, sigillatim referuntur. Cæterùm nunc series narrationis, me iterum reuocat à cogitatione

tatione rerum tantarum, & ad con-
siderationem status Ecclesiastici,
sub VValdemaro & sequentibus re-
gibus. Mortuo Ascero Archiepis-
copo Lundensi, de successore consti-
tuendo non conuênit. Nam Sca-
ni Eschillum antecessoris consangui-
neum: Ericus verò Rex, cuius men-
tionem supra feci, Riconem Slesuicen-
sem succedere voluit. Verùm sua
sponte Rico cessit: atq; hoc modo Esc-
hillus Archiepiscopatũ obtinuit Lun-
densem, præsertim Erico Rege ad-
uersario suo interfecto, circiter an-
num salutis humanæ 1148. Apud
Eschillum autem Nicolaus legatus
pontificius, pallium deposuit, quod il-
li conferret, cùm Sueci & Gothi
consentientibus votis Archiepisco-
pum elegissent. Fuit autem Eschil-
lus egregius superstitionum magister.

Nam

Nam cum Stephano Vpsalensi, in numerum Diuorum transtulit Canutum ducem, circiter annum Domini 1164. Claruit autem hoc tempore Bernhardus Clareuallensis Abbas, cuius fama tanta signorum & sanctitatis fuit opinione celebris, vt de toto orbe conflueret ad eum populorum frequentia. Fuit inprimis Bernhardus illa ætate doctus & pius Theologus: ac scripta ipsius, propter singularem pietatem & ingenij acumen, à doctis & pijs hominib; commēdantur vehementer, sed & diligenter extirpandi ab illis, vel potiùs considerandi pio & attento lectori sunt, superstitionum multi riuuli, ne huiusmodi humanarum opinionum hiatibus absorbeatur.

Itaq; & Bernhardi famâ excitatus Eschillus, magnis sumptibus

claram

claram vallem Monasterium petijt, tum primùm Roberti viri illustris impensis ædificatum, cui certè loco maxima cum gloria, ad annos 6 & 30 præfuit Bernhardus, ex Castilione Burgundiæ nobili genere ortus, ad hunc inquam contendit Eschillus non contentus, quòd inde monachorum examen accepisset, sed ipsius Bernhardi videndi causâ. Domum rediturus rogauit, vt pani benediceret Bernhardus, quò diutiùs eum asseruare posset. Præterea & Bernhardi mortui sepulchrum visitauit, & in mortuo fiduciam posuit. Cùm autem Episcoporum munus sit, pascere gregem Christi verbo & doctrina salutari, hoc neglecto officio, Eschillus militem egit, in Regem Ericum renitentem electioni suæ seditionem mouet, & tota Sielandia pepulit E-

ricum. Aliquoties cum Olao à Schanis electo congreditur. Quibus intestinis bellis, etiam Episcopus Roschildensis in pago Ramløse ab Olao capite truncatur: ipseq́ Eschillus paulò post à Suenone conserta pugna capitur, & in Ecclesiam recluditur vinctus: sed vinculis relaxatus, interfuit Danorum agmini, prodeuntium ad bellum contra VVandalos.

Itaq́ magna fuit potentia Eschilli, magnæq́ diuitiæ ac splendores, id quod resignatio pontificatus ostendit, in qua non tam amicis multa donat, sed nec ipsum Regem indonatum præterijt. Eschillo pontificale culmen dimittente, vti Bernhardo Clareuallēsi quondam Abbati promiserat, ac iam claram vallem, ad inuocandum exuuias Bernhardi abeunte, communi cleri suffragio pontificatus maximi titu-

la

lo insignitus est Absolon, regia familiaritate & cognatione cõspicuus, imprimis animi corporisq́ dotibus cõmẽdatißimus, circa annum Christi 1170. Is quoq́ relicta religionis cura, bellorum potiùs negocijs distinebatur, existimans leue esse, domi religionem tueri, si forìs periclitaretur. Eamq́ ob causam domo Episcopali diruta, soloque æquata, aßiduè loca maritima incoluit, atq́ syluis & frondibus pro domo vsus est. Hybernis temporibus mari nondũ glacie constricto, se nauigijs cõmisit, vt hoc pacto excubias ageret pro solo patrio. Pridie palmarũ omniũ primò, cũ Sclauis manus conserũit, etiãsi viribus longè esset inferior. Nã Sclaui, nauibus 24 numerosum agmen duxerant, cui ille cum paucis admodũ militibus occurrit, & superior extitit, peditibus omnibus fermè interfectis,

& multis etiam ex equitibus cæſis. Sic Abſolon pontificatum, ſanguinis effuſione & cædibus auſpicatus eſt. Regem VValdemarum ſubinde, non ſine acerbitate verborum hortatus eſt, vt bellum in Rugianos ſuſceptum proſequeretur: cui & ipſe interfuit, cædibus, incendijs, direptionibus plurimum damni dans. Itaq; præcipuam ſuam operam Abſolon, erudita doctrina procul dubio, ac eloquentia excellens, bellis gerendis potiùs quàm curæ animarum impendit. Ac diſertum fuiſſe hominem Abſolonem, oſtendunt monumenta ab ipſo tranſcripta: ac inter alia etiam Pompeium Trogum elegantiſſimis literis, ipſa manu Abſolonis in membranas coniectum videram. Sed & Sueciæ Epiſcopi his temporibus, prorſus Antichriſti fuerunt mancipia. Stepha-

nus

nus, natus ex Ostrogothia, qui primus fuit Archiepiscopus in Suecia, singulare mancipium Romani Antichristi fuit, vt & sequentes Iohannes II, Petrus eius nominis tertius, ad quem adhuc extat quædam Celestini 3 Epistola scripta, in qua Papa consuetudinem coniugalem Reginæ Sueciæ permittit, etiamsi graui affecta morbo, perpetuam vouerit continentiam. Verùm de successore eius, Olao hîc nihil dico. Cæterùm Canuto filio VValdemari VViburgi concione procerum contracta, Regi Daniæ declarato, ac paulò post immatura morte subtracto, in regno Daniæ successit frater Germanus VValdemarus eius nominis II, ab Andrea Lundensi consecratus, anno 1203. Fuit & hic VValdemarus Rex, militaris gloriæ appetentissimus, quare &

regni sui amplificandi cupidißimus, Pomeranis bellum facit, quos suæ ditioni subiectos esse volebat. Nam & Vagriam, Holsatiam, Obotritorũ & Rißinorum terram tenebat: & quotquot hisce imperabant locis, eum feudi dominum agnoscebant. Per hæc tempora labor nunq̃ satis commendandus in Liuonia fuit: vt & hæc mundi pars ad fidem Christi conuerteretur. quò ipse Rex VValdemarus cum agmine venit, & apprehensa terra, extruxit Reualiam, ac aliquandiu possedit, eiusq; ditionis semper inde vsq; in hæc tempora, pendebat ius Ecclesiasticum ex Dania. Anno igitur 42 post mille ducentos, cùm vltra annos 40 regnum varia fortuna administrasset VValdemarus, multasq; leges ac municipalia regni ex æquo & bono rogasset, superfluas abcidisset & ni-

mium

mium seueras emendasset, tandem fatis cedit, cui Ericus filius succedens in regnum, à fratre Abele truncatur. Exitus fatalis Erici haud dissimilis fuit, Mauricij pientissimi Imperatoris tristissimæ lanienæ, &c: Docuerunt, vt supra dixi, nihil frequentiùs illis temporibus, quàm inuocare sanctos. Ideoque & hic Rex valde pius fuit, & Deo deuotus: sed tamen hoc dolendum, quòd vero Deo præterito, potiorem honorem Deo debitum creaturæ detulerit: excoluit enim sanctum martyrem VVenceslaum Bohemiæ ducem: quem frater Bolislaus occiderat. Cùm autē Rex Ericus esset soporatus, vidit per quietem, eundem sibi dicentem martyrem sanctum: Confide frater, adsum quem colis, nuncius tibi venio, eodem te genere martyrij absu-

mendum quo & ego. Priùs tamen Monasterium volo construas in honorem Dei & nominis mei. Euigilans Rex, certus non fuisse vana somnia, cœnobium erigere cœpit, ac vt visionem hanc diu differret, ædificationem duxit diu procrastinandam anteq̃ consummaretur, vt vitæ stamina extendere hoc pacto posset. Sed priùs quàm explesset iniunctum ædificandi Monasterium, captus est insidÿs fratris Abelis, & in nauim perductus, cui Lago quidam ex Dania miles præfuit, quem Rex haud aliter ac Mauricius Phocam affatur: Sciebam (inquit) vbi in tuas manus perueni, esse de me actum: ac deinde adiecit, sciebam mihi à fratre meo mortem impendi, sed tam properatam non speraui. Peccata quidem mea deposcunt quod patior: Sed non erit me-

lior

lior exitus fratri, nisi resipuerit à malitia sua. Quibus dictis, pius & bonus Rex in naui, ipso in lacu Slia, ad oppidum Slesuicense, securi cæsus est, anno 1251. Sed quia solent morituri nõnunquam vaticinia edere: Abel surrogatus fratri in regnum, pœnas fratricidij luit iustas. Nam dimicans infeliciter in Frisia, à rustica plebe cadit oppressus. Ita sanè verissimè dictum cernimus à Lucano, primo libro Pharsaliæ:

Nulla fides regni socijs, omnisq́ potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus vllis
Credite, nec longè factorum exempla petantur:
Fraterno primi maduërunt sanguine muri.

SEd causa huius fratricidij nulla alia fuit, quàm auaricia & pestilentißima ambitio. Voluit enim ad se Abel, fratris regnum & bona rapere, non contentus sua sorte ac benedictione, quam amplißimam à Deo acceperat. Fratres enim hi reges fuerunt, qui se mutuò defēdere debebant, & beneficijs inuicem certare: sicut sanè optimus Rex Ericus, nihil suspicans, fraternæ fiduciæ plus tribuit, ac miserè circumuenitur. Frater enim, secundum A. Gellium noct: Atticarum lib. 12, dictus est, quasi ferè alter. Micipsa apud Salustium dicit: Quis autem amicior quàm frater fratri, aut quem alienum fidum inuenies, si tuis, hostis fueris? &c. Fratrū cōcordia res est præclara, Syracid: 25. Stobæus multas præclaras sententias collegit de φιλαδελφία sermone 82. Qui

fratres

fratres interimunt, à veteribus Iure- consultis parricidis annumerantur. Sed interim multa fratricidij in histo- rijs recitantur exempla. Cùm Camby- ses Rex Persarum, qui fratrem suum interfecerat, ne ad regnũ aspiraret, vt est apud Herodotum, Catulum leonẽ, & canẽ ferocem inter se committeret, & leo superior esset, alter canis ruptis vinculis, fratri cani opẽ tulit, vicerũtq; leonẽ. Hoc spectaculum, quod regi gra- tũ fuit, reginæ sorori lachrymas excus- sit: cumq; causam luctus rex quæreret, illa respondit, talem fidem frater no- ster non est expertus. Rex id indignè ferens, è conspectu abreptam iussit necari. Ita sanguinarius Rex & fratrem Smerden, & vxorem soro- rem propter fratris miserabilem inte- ritum plorantem, grauidam interfe- cit, testibus Herodoto & Iustino. Iu-

gurtha

gurtha filius adoptiuus Micipsæ, fratres suos Hiemsalem & Adherbalem sustulit: cuius rei integra historia à Salustio describitur. Romulus Remum fratrem suum, vt solus imperaret, occidit, aliam causam prætexens, quòd mœnia contra legem transilijsset. Antonius Baßianus Caracalla, Seueri filius ex vxore Maria, fratrem suum Getam ex Iulia natum, quem pater voluerat fratris collegam esse, initio imperij interfecit, pendentem de collo matris & clamantem: Fer mihi opem mea mater. Postea, vt quidam scribunt, Papinianus Iurisconsultus iussus ab eo, hanc cædem in senatu & apud populum excusare, respondit: Non tam facilè parricidam excusari posse, quàm fieri, ideo ipsum quoque obtruncasse.

Si

SI quis Græcorum historias recentiores euoluat, inueniet inter principes Constantinopolitanos, filios, qui in parentes & fratres adeo sæui & impij fuerint, vt vnus alterum occiderit, excæcari mandârit, carceri incluserit, quò soli regno potirentur. Turci quoq; eandem erga fratres & cognatos sæuitiam exercent, Baiacetes Solymannum fratrem occidit. Item, Mahumetes 2. Baiacetes, à filiò suo Selimo occisus est: is sæuijt in alios quoq; sui sanguinis, affirmans, Iouio teste, nihil esse dulciùs, quàm sine consanguineorum timore ac suspicione regnare, seq; ob id excusatione dignum arbitrabatur.

Itaq; ex hac recitatione palàm est, quòd verißimè dictum sit ab Alexandro Macedone, qui respondit Dario à se victo, cùm partem regni

peteret,

peteret, orbē duos soles nō capere. Nec malè dixisse Aristotelem: Omnia quæ volunt Tyranni, si possunt, faciunt. Pertexerem autem integram narrationem sequentium regum Danorum, vsq; in hæc tempora nostra, si res Ecclesiasticæ & memorabiles, præter illas, quæ hactenus recitatæ sunt, incidissent: quæq; dignæ essent, vt apud posteritatis vigerēt memoriā: sed cùm nihil præter pōtificiorum fastum, doctrinæ corruptelas, ineptas ceremonias, intestinos tumultus, variasq; seditiones, ab historicis sit annotatum, vsque ad Christianum primum: meritò ab illis hac vice supersedemus. Saltē vt seriē nobilissimarum familiarum, quoquo modo cognitā habeat iuuentus, insignium aliquot cùm præcedentium, tum tempestatem illam sequentium principum ac regum, ad vnam tan-

tum

tùm atq; eam immortalem veri decoris laudem aſpirãtium, nomina ac monumenta, quæ ex curriculo vetuſtatis, ad nos vsq; delapſa ſunt & conſpiciuntur duobus in Sielandiæ locis, Ringaſtdio nempe & SORA, non vetuſtate modò: ſed clariſsimorum horum principum funeribus ac ſepultura conſpicuis, repetam. Nobilitatis autem delectæ gloriâ rerum geſtarum memorabilis, nomina hac vice præteriens.

RINGSTADIVM.

Diuus Canutus Dux, filius Erici Eiegod, qui maximos ſuæ ætatis Reges, magnitudine generoſi animi, facilè ſuperaſſe cenſetur; inſidijs & proditione patruelis ſui Magni, Nicolai Regis filij, in ſylua Harreſtadiana, media fronte ad oculos vſq; diſciſſa, trucidatus, anno Chriſti in carnem nati, 1103. die Ianuarij 7. exceſsit è vita. Cuius exuuiæ debita exequia-

rum

rum pompa, Ringſtadium templo Diui BENEDICTI & Monaſterio clarum, deportatæ, vt in templo D. Benedicti, ad aram maximam conderentur, cui cùm cognati, amici & ſubditi ſupremum pietatis munus exſoluiſſent, poſtea anno Chriſti 1171. de tumba leuatus, ac aræ conſecratus imponitur, atq; inter Diuos numeratur. VValdemarus I. Diui CAnuti filius, anno 1102. VVorthingij, ſiue (vt nunc vocant) VVordingburgij, lenta tabe conſumptus, vitæ finem fecit, anno 1192. Maij 12. gubernationis verò anno 26. cuius cadauer Ringſtadium funerandi gratia aduehitur, & ſepulturæ infra parentis cœnotaphiũ mandatur: vnà cum illuſtriſſima regina SOphia coniuge, eminentibus titulis clara, quæ fatali neceſsitati ceſsit, anno 1198. Maij 13. ſiniſtrumq; optimi mariti cingit latus. Illuſtriſsimus Dux CHriſtophorus, VVALdemari I. filius, qui integritatis laude, illuſtri fide, conteſtataq; virtu-

te

te excellens, iudicio læto exultantis populi, ac patrum consensu firmo, in ducatum Obotritorum euectus, spiritum tandem fatis reddens, Ringstadij ad caput Illustrissimæ matris SOphiæ, versus partem dexteram sepelitur. CAnutus VValdemari 1. filius, frater CHristopheri, Dux etiam Slesuicensis, Pomeraniæ, Holsatiæ ac Hassiæ post patris mortem, patriæ consensione in Regem firmatus, anno 1210. rebus humanis excessit, peractis inferijs corporeq; honoratissimè Ringstadij funerato à parte orientali, infra chorum (vt vocant) cum RIGELTZA Germana sua, vxore ac Regina ERici Regis Suecorum, quæ eodem anno Maij 8 expirauit, & ad sinistram fratris contumulata. VValdemarus II. primi VValdemari filius, post CAnutum, Regium nomen & oleum sacrum adeptus, quum regnum varia fortuna administrasset, anno Christi 1242. in pace quieuit, Ringstadij sepulturæ datus, apud cu-

ſus ſiniſtrum latus funeratur pien-
tiſsima Regina Damara, filia regis
Bohemiæ, prima vxor VValdemari
II. quæ obijt anno 1215. Maij 24.
Bingera verò filia regis Portugaliæ,
quæ poſt DAmaram nupſit VVal-
demaro, dextero eius lateri eſt ap-
poſita. VValdemarus III. VValde-
mari II. filius, conſors gubernatio-
nis, patre ſuperſtite, ac Rex Daniæ
declaratus, in ſylua Refsnis prope
Calundburgum tempore venationis,
globulo à gregario quodam milite,
caſu emiſſo, vel potiùs ad hoc, va-
framento fratrum concinnato, in
crure letali vulnere affectus, occubu-
it, anno poſt inaugurationem ſecun-
do, anno Chriſti 1231, Ianuarij 29. cu-
ius Cœnotaphium iuxta parentem à
parte chori dextera conſpicitur. Cu-
ius illuſtriſsima Regina HElienora,
filia regis Hiſpaniarum, æſtu febrili
diu iactata, paulò ante maritum, vel
(vt quidam volunt) ſexto menſe poſt
VValdemarum III. defunctum, vitæ
ſtamina

ſtamina abrupit, ac ad latus mariti ſi-
niſtrũ humo mãdatur. Dux Canutus
VValdemari II. filius, qui Lolandiæ
inſulæ præfuit & obijt anno, 1260.
Octob: 5. cum filio ERico, ab al-
tera cœnotaphij parte quieſcit. Dux
VVALdemarus infans, CHriſtophe-
ri Regis filius, & VValdemari II. ne-
pos, ad pedes parentum ſitus eſt. Di-
uus Ericus Rex Daniæ, filius VVal-
demari II, nefanda ABelis Germaniæ
& Holſatiæ Ducis, proditione, ſecu-
ri cæſus anno 1251, menſis Auguſti die
nono, cuius cadauer (vti ſuprà dixi)
ſaxo coniunctum mergitur in pro-
fundum: ſed poſteà inuentum pri-
mùm tumulatur Sleſuigæ apud fra-
tres prædicatores, ac deinde ſtudio
& opera fratris CHriſtopheri Re-
gis Danorum effoſſum, deportatur
Ringſtadium anno 1257. Vbi muro
parietis inſeritur, prope ianuam chori
orientalem. Rex ERicus, quem
municipalia Sielandica authorem ha-
bere quidam perhibent, quanquam

aliĳ aliter ſcribant)filius ERici illius, qui Finderopiæ in Cimbria interemptus eſt, ſub monumento æneo à parte orientali ſepultus eſt, qui euaneſcēte ſpiritu vitali, fatali horæ ceſsit, anno 1319. die, ſancto Brixio ſacro. Huius mater Agnetes, filia Ottonis Marchionis Brandeburgēſis, ad latus eius ſiniſtrum poſita eſt, cuius animula in cœlum vnde venerat euolauit, anno 1300 VIIbris die 29. INgeburgis eiuſdem Erici coniunx, BYrgeri Sueciæ Regis ſoror, ad dexterum mariti latus monumento condita eſt, anno. 1319 etiam ſeptemb: 29 BYrgerus Rex Sueciæ frater Ingeburgis, ad pedes Germanæ ſitus eſt verſus auſtrum, naturæ Deoq́ concedens anno 1321, Maĳ vltimo. Margareta regina regis Erici cognomento Klipping, reginæ Agnetis filia, vnà cum marito ibidem iuſtos exequiarum honores ac ſepulturam ſortita, fatali cōcedens neceſsitati, anno 1341. Maĳ 2.

Sora

CHRISTOPHERVS Rex, Erici & VValdemari parens, cum Euphemia regina in choro templi Sorensis tumulatus est, tumba, æneo metallo superextante, in eo ipso (vt dicitur) viuentis cultu, expressiq; oris habitu, quo bella gesserat, nullo tamen Epigrammate erudito insignito. Dux Ericus horum filius Rex Daniæ designatus, Chiloniæ vitam posuit, ac Soram traductus, apud patrem regem sepeliebatur. Dux VValdemarus etiam eiusdem CHristopheri regis filius, in comitijs Rostochiensibus morte subtractus, atq; huc deductus, parentibus adiunctus est. Agnetes Christopheri regis filia, caducam hanc vitam relinquens, Soræ ὑπογέιον consecuta est, cum sorore HEduige & fratre duce ALberto. Olaus Margaretæ reginæ filius, quem ex HAquino Noruegiæ rege suscepit, adolescens in fata concessit, anno Christi 1387. ac Soræ iuxta cœ-

notaphium Christopheri regis cubat. VValdemarus IIII, Margaretæ reginæ pater, post multas peregrinationes & funesta bella, infirmitate correptus, rebus humanis exemptus est in castello Gurræ, anno 1375, ac primùm VVordinburgĳ datus ad sepulturam, deinde verò imperante Margareta filia, potẽtissima triũ borealium regnorum regina, Soram deuectus, vbi in choro, eius spectatur excellentis operis sepulchrum præstans. His adiuncti sunt Dux GErhardus de Suansberrigh, qui in fano infra chorum suum inuenit sepulturæ locum. Dux GVntherus filius CHunegundæ ducissæ, qui Norderopiæ in Iutia vita defunctus, Soræ â parte chori australi marmore tegitur. INgeburgis comitissa à Blanckenbergh, in choro apud reliquos, lætam resurrectionem expectat &c: Ita secula & ætates hominum declarant mortis deuastricia

monstra

monſtra ſæuire in homines ſine diſcri-
mine, ac veriſsimum eſſe quod hîc
ex poëta quodam ſubijciam, quan-
quam non admodũ concinnum atq;
numeris expletum, tamen experientia
ſatis exploratum.

Eſt homo vas fragile, & firmati robo-
ris expers,
Frigora, ſudores pertolerare nequit.
Hunc cibus atq́; labor, illum ceruiſia
& æſtus,
Occidunt, ſine quis viuere nemo
poteſt.
Omnis homo bulla eſt, q̃m modò ſur-
git in auram,
Cras obit, & corpus vermibus eſca
datur.
Flos typus eſt hominis, pulchrè flos
manè vireſcit
Heu heu ſed moritur, ſole abeuute
citò.
Vita breuis nimium, punctum eſt
quod viuimus ipſi,
Mors iã terribili falce cruenta venit.
Mors parcit nulli, ditem cum paupere
tollit,
Quid modò gaudemus? cras cinis,
vmbra ſumus.

INterim nunc venio ad seriem Regum postremorum, & descendentium ex stirpe & familia clarißima Comitum Oldenburgensium & Delmenhorst &c. Qui cùm generis antiquitate, virtutum & rerum gestarum splendore, prouinciarum amplitudine, subditorum numero, & opum magnitudine, superioribus horum regnorum regibus non essent inferiores: multis quoque authoritate, sapientiâ, doctrinâ & dicendi facultate præstarent: horumq́ bonorum in amplißimis externorum principum & oratorum conuentibus, documenta maxima dedissent ÿ: quibus Imperatorum & principum exempla factaq́ non essent ignota, cùm sapienter iudicarent, se non minùs Ecclesiæ Dei, quàm politÿs natos esse, viuere, & diuinitùs cōseruari: intelligerent

telligerent quoq; sine literarum do-
ctrina & adminiculo, neq; religio-
nem sacram propagari prouehiq;, neq;
vllum ciuilis vitæ statum feliciter gu-
bernari posse & florere: & opus esse
inprimis, vt ad barbariem profligan-
dam, ad doctrinarum veritatem &
linguarum puritatem retinendam, &
ad morum deniq; elegantiam, & vi-
tæ pietatem tradendam exercendam-
que, omnibus ætatibus à pueris ali-
qua hominum, eaq; non contemnenda
pars in scholis & Academijs ad tan-
tas res, maximosque vsus institue-
retur & exerceretur. Hæc, inquam,
cùm omnium optimè intelligerent, si-
cut sanè intellexisse ex sequentibus
apparebit, studio indefesso commo-
da religionis propagarunt. Nam
Christiernus I, præmonitus à Sixto
Pontifice, ac impetratis à Friderico
 Im-

Imperatore consanguineo & amico, priuilegijs & immunitatibus, quæ Academijs eorumq; alumnis debentur, hilari animo & felici auspicio, erectionem huius Academiæ suscepit. Quæ initium habuit anno 1479, die Martis, primo mensis Iunij, cùm in templo hoc Beatæ Mariæ Virginis, præsentibus illustrißimo ac potentißimo principe, Domino Christierno, Daniæ, Sueciæ & Noruegiæ Rege inuictißimo, ac reuerendo in Christo patre & Domino, Domino Olao Martini, Ecclesiæ Roschildensis Episcopo, prælatis, militibus strenuis virisque nobilibus, vbi post celebrationem Mißæ, quæ tum maximè viguit, cùm pro Academiæ erectione feliciq; successu, tum pro commendatione scientiarum & laude Regiæ maiestatis peroratum fuit:

fuit: Dominus licentiatus, Magiſter Petrus Alberti, qui poſtea & Conſul ciuitatis huius, & profeſſor Aacademiæ factus eſt, adiecit in omnium multitudine, neceſſe eſſe aliquem regentē, cui cæteri obediant: præſertim in omni vniuerſitate generalium ſtudiorum, oportere eſſe vnū Rectorem &c. Fuit itaq; eâdem hora, per concordem & vnanimem conſenſum illuſtrißimi Regis, Epiſcopi, Prælatorū, militum & nobilium, omniumq; aliorum aſiſtentium: nobilitate, eruditione, pietate ac virtutibus clarißimus & ornatißimus vir, Dominus Iaſparus Henrici de Sandagergaardt, artium liberalium Magiſter, Eccleſiæ Hafnienſis Beatæ Mariæ Decanus, Roſchildenſis & Othonienſis Canonicus, in primum Academiæ Rectorem electus. Poſt cuius ſuſceptæ gubernationis

initia,

initia, omnes qui aderant Deo gratias acturi, gratiarum & exomologeseωs hymnum, Te DEVM laudamus, cecinerunt: & Deum orarunt, quemadmodum nos etiam nunc oramus, vt hanc Academiam continuare & conseruare sua diuina bonitate, ad ipsius laudem velit, qui viuit in æternum Deus benedictus. Amen.

HOc Christierni primi studium & curam, pro religione & honestis disciplinis in Regia hac schola, conseruandis, meritò præterire non debemus, quòd ex illis facillimum est videre, quanta fuerit prudentia huius Regis, qui rectißimè intellexit, & ex pontifice Sixto didicit veteri quoq; more, semper Ecclesijs piè riteq; ordinatis, scholas & Academias adiunctas fuisse. Nec erat ipsi ig-

notum

notum à Mose fuisse constitutum, vt ad tabernaculum semper essent cœtus docentium & discentium. Non ignorabat Eliæ, Elisei, Iesaiæ, Danielis, Esdræ, Nehemiæ, & quæ postea secuta sunt, Iohannis, Polycarpi & Clementis exempla: ij semper scholasticos cœtus aluerunt, docuerunt, & in præclaris studijs ad Ecclesiarum ministerium, ad doctrinæ purioris conseruationem & propagationem exercuerunt: repetebat quoq; memoria insignia Regum Iosaphat, Ezechiæ, Iosiæ, Hebræorum, & Christianorum principum Theodosij, Constantini, Caroli Magni & aliorum facta, in quibus nouit præcipuam fuisse curam tuendæ religionis veræ, & ornandarum scholarum: idcirco magnopere probabat Papæ Sixti consilium de schola hac regia aperienda,

perienda, quod tam præclarum opti-
mi Regis institutum, modis omnibus
amplexus est, filius Iohannes, eiusq;
frater Fredericus primus, vt & se-
quentes Reges pijßimi & clarißimi.
Passa autē est nihilominus hæc scho-
la Regia, ob seditionem & bellicos tu-
multus, suam vastitatem & singula-
rem dißipationē annis ferè nouē. So-
lent enim discordiæ & bella, plurima
cōmoda impedire, & ingentia mala se-
cū attrahere: adeo verè dictū est cōmu-
ni voce: propter vicinū malū aliquod,
aliud malum esse extimescendum: &
bellorū incōmoda latißimè promana-
re. Cicero qui Romani Imperij Cancel-
larius aliquot annis fuit, inquit in li-
bris, quos de Repub. scripsit: vt guber-
natori cursus secundus, medico salus,
imperatori victoria: Sic moderatori
Reipub. beatā ciuium vitā esse propo-
sitam

sitã ait, vt opibꝰ firma, copijs locuples, gloria ãpla, virtute honesta sit. Hæc etsi splendidè & verè dicuntur, ac postremum imprimis bonũ iudicatur, vt virtute honesta sit ciuitas, nam verè ψυχὴ πόλεως ἡ ἀρετή ἐστι: tamen hi nondum sunt præcipui fines, & summa Reip. bona & ornamenta, nisi simul etiam veri Dei domicilium & templũ sit Respub. & hospitium Ecclesiæ Dei, in qua vera Christi religio floreat: & scholarum, in quibus iuuentuti, quæ seminarium est Reipub. vnà cum cæteris bonis artibus vitæ necessarijs, etiam vera religionis & syncera de Christo redemptore doctrina diligenter tradatur. Etsi enim necessaria principibus & Reipublicæ decora sunt opes, ædificia, artes, disciplina, leges, iudicia: tamen summa in ciuili societate bona

na sunt, Ecclesiæ & scholæ frequentes. Nam propter hunc finem præcipuè Deus homines in politijs consociauit, & vinculis gubernationis, educationis, legum, officiorum, contractuum &c: deuinxit, vt alij alios de Deo & vera pietate, & cæterarum virtutum officijs doceant, & multorum voce Deus inuocetur ac celebretur, ac vt testimonia de Deo, & exempla virtutum alij alijs ostendant.

Hunc suæ functionis finem & scopum præcipuum, quem pleriq; gubernatores aulici superbè negligunt, multi etiam premere & delere conantur, multi nihil ad rem pertinere, ac ne partem quidem esse politici status Ecclesias & scholas existimant: intelligens sanctus Rex Christianus III, Friderici I, filius, hanc præcipuam

puam Reipub. partem, summa fide & diligentia, imprimis sibi fouendam & ornandam esse sapienter iudicauit. Inciderunt autem initia gubernationis sanctißimi Regis Christiani III, in difficillima tempora, vt ante dictum est. Nam regnum hoc horrifico partim hostium externorum insultu, partim bellorum intestinorum apparatu premebatur, quæ tam atrocia bella, non tam repurgationem Euangelij impedierunt, quàm alia bona Reipub. turbarunt dißiparuntque. Sed Christianus regno Daniæ iam potitus, quassatam continuis bellis Rempub: pace, legibus, & omnibus ornamentis ciuilibus recreauit, & piorum ac sapientum virorum consilijs vsus: Sicut paulò antea, patre Frederico regnum Daniæ tenente, patrium ducatum administrans primùm

mum Ecclesiarũ inspectionẽ, & abusuum pontificiorum emendationem publicam suscepit, commendata rerum Ecclesiasticarum & visitationis cura præcipua, Eberhardo VVidensio Theologiæ Doctori, quem Magdeburgâ princeps euocauerat: & Hermanno Tastio pastori Flensburgensi, quibus ex nobilitate Iohannes Ranzouius aulæ magister, Iohannes Reuentlou, & alij adiungebantur: Ita & præcipua cura Christiano fuit, regnum hoc totum à pontificia tyrannide vindicare assereréq;.

Fuerunt in hac vrbe, præter obsidionem, inopiam & famem Saguntinam, etiam alia ingentia & quidem maxima mala, antequam Christiano se hac ciuitas Hafniensis dedidit.

Etenim anno 1530, ipso die Iohannis

nis Euangelistæ, tertio videlicet natalis Christi, primùm doctrina Christi à tenebris pontificijs repurgata, publicè in templo hoc beatæ virginis proposita est. Sed anno sequente, conspirantibus non paucis ex nobilitate, & frementibus ac insanientibus Episcopis perduellibus Euangelij Dei, Papæq́ administris, exturbata iterum est, integrumq́ue triennium saluificum Dei, verbum, sacramentorumq́ue verus vsus sordibus papisticis squallebat, nulliq́ue impunè cœlestem doctrinam publicè tradere, permittebatur.

VErùm ãno 1534 ipso visitationis Mariæ, respiciente nos diuina gratia, rursꝰ doctrina cœlestis, quæ iã aliquo modo ex libris Lutheri, & primis illis cõcionibꝰ radices egerat apud

multos fideles, non sine graui seditione ac tumultu inter magistratum & ciuitatem, prementeq́ necessitate, Pontifice Roschildensi cum aliquot nobilibus in vota ciuium coëunte, restituta est pax alma religioni & constanter promota ac defensa: quo anno, 16 Iulij, Christopherus Comes Oldenburgensis, nomine Christierni exulis Hafniã ingressus est, ob cuius præsentiam auus Christiani quarti, Regis electi & Domini nostri clementissimi, dux Holsatiæ: in regem electus est anno 1535, ipso Olai regis & martyris, qui ciuitatem hanc regni metropolim, terra mariq́ obsidione cinxit: adeo vt equos, canes & feles in pastum hominum exposceret fames, ac multi vtriusq́ sexus homines, iuuenes & senes fame interirent. Ac sanè durante obsidione, Albertus

dux

dux Magnopolensis, eandem calamitatum aleam expertus est, vt 16 Aprilis anni 1537, etiam necessitas, carnes equinas, poculumq́ lympidæ aquæ familiæ eius ministraret. Dum autem de conditionibus deditionis tractabatur, tanta Christiani regis electi, erga hostes etiam clemētia & benignitas fuit, vt Alberto Duci, cuius coniunx puerpera, filium Ludouicum in obsidione enixa erat, & familiæ ipsius, cibaria in vrbem necessaria, ex castris, vtpote panes, carnes ferinas, triticum & auenam, vinum & ceruisiam, vnde & ipsa & maritus, & filia, & virgines nobiles, ac multi deniq́ in illa familia ali possent, vsq́ ad ipsam deditionem suppeditaret. Cæterùm cùm Christianus Hafniam & vniuersum regnum occupatum teneret, syncе-

ram Euangelij doctrinam, in Eccleſijs & ſcholis totius regni doceri præcepit, & Academiam hanc collapſam inſtaurauit, reſtituit iudicia, cauſas grauiores ipſe audiuit & dijudicauit, & latas ſententias exſequutus eſt: nec tantùm præcipiendo & regendo, ſed veræ pietatis, iuſticiæ, veritatis, fidei, caſtitatis, omniumq́; virtutum exemplis, ſubditos ad earundem virtutum cultum, & debitam Deo obedientiam flexit. Epiſcopos regni, viros nobiles & pontificiæ religioni addictos, ſequutus aliorum principũ exempla, captos depoſuit, quòd & electioni ipſius repugnaſſent, ac molitiones clandeſtinas & conſilia aduerſus eum inſtituere dicerentur, & veræ Euangelij doctrinæ, quam in toto regno liberam ſonare voluit, propagationi aduerſarentur.

Ita,

Itaq; annos circiter 350, postquam à sancto Canuto primùm consilijs regni publicis adhiberi cœperunt, Christianus eos in comitijs regni, ineunte Nouembri, ex senatu remouit, & reditus eorum ac prædia omnia in regium fiscum redegit: collegijs tamen Canonicorum seruatis, hac conditione: vt Rex beneficia & canonicatus, suo arbitratu, quibus vellet, conferret: & canonici in suis templis, doctrinam Euangelij, & cãtiones ac ceremonias verbo Dei congruentes, abiectisq; omnibus idolis & superstitionibus pontificijs, propagarent, & ad posteros transmitterent. Verùm repurgata Euangelij doctrina, & Academia quæ iã penitus collapsa fuerat, erecta atq; instaurata, Rectorem crearunt, & scholastico cœtui renunciarũt cõmendarũtq; D. Christiernũ Morsianum,

anum, paulò antè Antuerpiā reuocatum, medicum eius ætatis clarißimum, quem multi quoq́ alij doctrinarum varietate excellentes viri, secuti sunt: inprimis Iohannes Bugenhagius vir doctißimus & excellentißimus, Petrus Palladius pijßimus, Tilemanus Cliuensis Theologiæ Doctor, Iohannes Seningius, M. Petrus Paulinus & alij, quorum multos non dubito adhuc quosdam, qui stipendia in hac togata militia faciunt, iuuentutemq́ informant, vel etiam in canonicorum collegijs agunt, familiariter nouisse & docentes audiuisse, quiq́ initia resurgentis Academiæ viderant: & fortasse, honorificæ eius introductioni (vt vocant) interfuerant.

Factus est quoq́ tunc magnus eruditorum hominum & scholarium

ex

ex omnibus regni huius prouincijs concursus, vt primus ille Rector, anno administrationis suæ, non paucos in Academiæ matriculam iuratos retulerit. Ab eo tempore schola hæc semper floruit, nomenque celebre habuit.

Sed vt tristi seculo, omnia in deteriùs ruunt: ita inciderunt postea quædam plurimarum rerum eæq; communes difficultates, quæ Academiæ statum & dignitatem valde debilitassent & minuissent, nisi pientissimus & literarū amantissimus Rex, ægram & labentem Rempub. literariam, sanare & confirmare cœpisset. Nam cùm cognouisset professorum stipendia minora esse, quàm eorum conditiones ferrent, anno 1554, 26, Octob: literis Regijs, in Fioniam ad Maiestatem suam, ex nostris ordini-

bus Petrum Palladium, Macchabæũ & Morsianum, quos cõditiones & salutẽ Academiæ nosse & intelligere, & quos de instauranda confirmãdaq; schola, bona consilia dare posse iudicaret, accersiuit, eosq; de rationibus varijs, quibus & afflictæ scholæ mederi, & eã supra pristini status felicitatem euehere posset, copiosè disserentes patienter audiuit, quodq; negociũ Nyburgi incboatum, ad proxima regni comitia deuolutum est. Interim anno sequenti 1555, incidit Rex Christianus in grauißimum morbum, qui post recuperatam ex gratia Dei sanitatem, & verè ex morte ad vitam reuocatus (ita enim Palladius de hoc morbo scriptum reliquit) tandem ex Fionia in Sielandiam rediens, in hac ciuitate, primùm conuocatis omnibus septem superintendentibus

tibus Regni Daniæ, egenorum parochorum mercedem auxit, vel ex tertia decimarum parte singulis aliquid adijciens, vel aliunde eis prospiciens, non sine consolatione quenquam dimisit. Deinde quoq; ijsdem diebus, professorum huius Academiæ stipendia auxit, ac præterea ipsam Academiæ fundationem, noua Regiæ Maiestatis suæ sigillo, roborauit cum alijs articulis pro conseruatione, & perpetua huius scholæ promotione. Adhæc numerum studiosorum qui vixerunt in spiritu S. amplificauit, certosq; reditus huic rei deputauit.

Quæ optimi regis clementia, & singularis erga Deum & Ecclesias pietas, manu propria Petri Palladij, in perpetuam huius rei memoriam, in matricula vniuersitatis est annotata.

tata. Sed & præter hanc Regiam clementiam, etiam anno 1556, ipsius, regia Maiestas singulis facultatibus artiumq́ professoribus nouum beneficium legauit, referentibus hoc sanctæ recordationis, Magnifico Cancellario Iohanne Frisio & Andrea Barby.

NOn possum hîc præterire, quòd aliàs à me dictum est, in oratione funebri Diui Frederici, olím hîc recitata, quòd Christianus III, sequutus exemplum quorundam potentissimorum regum atq́ Monarcharum, & quòd quemadmodum eos non puduit in gymnasia itare, doctissimos præceptores liberaliter alere, & reuerenter attenteq́ audire, & difficillimarum gubernationũ adminicula ex literis doctorũq́ scriptis assumere:

ita

ita & hic optimus Rex anno 1557, Septembris die 27, interesse voluit promotioni cuiusdam Doctoris Theologiæ, ac suo exemplo ad hanc sacram actionem, inuitauit Fredericum illo tempore electum regem, peregrinos hospites, Augustum electorem Saxoniæ ducem, Ducem VVilhelmum Brunsuicensem, duos Comites, magnificum Cancellarium Iohannem Frisium, senatum regni, peregrinos Doctores, Dominum D. Mordisium Cancellarium Augusti, Dominum D. Neuium & Lambertum medicos, aliosq́; authoritate & dignitate viros excellentes. Hanc de sanctißimo rege Christiano narrationem quisquis attentiùs intueri voluerit, cognoscet quàm singularis, quàm incredibilis eius pietas, quàm omni ex parte vndiq́; solida atq́; integra propensio

pensio

pensio in Deum opt. Max. in religionem, in administros Dei, & scholas honestatis atque pietatis seminaria, fuerit. Itaque Christianum III, tot tantisq́ virtutibus præstantem, quanquam grauißimis diu maximisque implicari morbis infirmitatibusque: non tamen sine magno prouidentiæ suæ consilio, id permisit Deus, vt sanctißimi pectoris (cuius penetralia probè perspecta habebat) suscitaret ad eas, quas & vberrimas & ardentißimas per tantum tēporis cursum profudit preces & gemitus, quibus tanquā altè euolantibus corruscantibusque quibusdam sagittis, & cœlos ipsos, & Dei ipsius etiam summi secretiora corda penetrauit, quibus adeò se euexit, adeò mentem altiùs extulit, vt familiarißima iam diuinorum consiliorum facta, tantùm fuerit

rit conſequutus, quantum guſtu magis quodam mecum capere, quàm verbis vllis vnquam explicare poßim.

Cogitent, qui fortè tantum de Chriſtiano, iudicium hominum admirantur, quàm magnum, quantiq́; æſtimandum fructum attulerint nobis, pietas & preces huius ſanctiß: Regis: religionis nimirum puritatem, ac inuocationem cœleſtis numinis illibatam, quâ quantum deſolata iam penè fides noſtra indigebat omnes intelligunt, cumq́ue animaduerterint illâ nihil excellentius, perſuadere etiam ſibi facilè poterunt, Regis huius excellentiam, qui non modò pietate, perſeuerantia, precibus & ſuſpirijs, illa quæ ſanè maxima ſunt impetrauit: ſed etiam felicem regni huius ſtatum, ſed deniq́ue vt regiæ familiæ cla-

rißimum

rißimum excreſceret indies nomen. Nam vt mortalium precibus capitur, ac tanquam catenis vincitur Deus: ita precantium fidem ardoremq́ magis quàm quid petatur reſpicere, atq́ pari mẽſura reſpondens implere ſolet.

O Regem ſingularem, ô magnum & admirabilem principem, ô ſcriptorum omnium dignum præconio, ô ſempiterna laude prrædicandum? Hunc talem non immeritò ad imitandum principes viri ſuſcipipiant, huius virtutes contemplari ne vnquam deſinant: quibus cùm tot numero claruerit, non facilè tamen ſit iudicare vtrâ earum præſtiterit: tanta fuit in eo ſingularum magnitudo atq́ excellentia.

Huius ſanctißimi regis virtutes colant principes & reges, huius pietatem imitentur nobiles, huius deniq́

curam

curam pro religione & scholis propo-
nant sibi omnes & singuli, qui ad
gubernacula regnorum & vrbium
sedent, quos cùm omnes vnà compel-
lemus, ita omnium animos ad il-
lius imitationem pariter & affe-
ctionem maximè cohortamur, cu-
ius vt imitatio eos ad bene san-
ctéque viuendum, non parùm incita-
bit: ita affectio ad illum etiam magis
imitandum plurimùm adiuuabit. Ita-
q́ue tua ô pientißimè Christiane, ca-
nescet seculis innumerabilibus laus:
manebitq́ue semper dum charitum ad-
derit solatium, & latinæ loquentur
literæ, posteritatisq́ vigebit memoria.

CHristiano Rege rebus humanis
feliciter exempto, succeßit in re-
gia dignitate & laboribus guberna-
tionis optimo patri, verè optimus &
laudatißimus filius, & inuictißimus

ac potentiß. Rex Fridericus II, princeps & patriæ huius pater clementissimus. Qui vt animaduerterat & iam longo vsu didicerat, plus esse simulationum, odij, inuidiæ, obtrectationum, insidiarum, turbarum & periculorum in vita politica, & ea quæ in aulis Regum agitur, quàm in scholasticorum conuictu & conuentibus, vbi candidè, integrè, dextreq; omnia sentiri debebũt (quod optaremus paßim in scholis fieri & omnẽ maliciam exturbatã) dici, doceri, & doctrinæ officia mutua communicari, veritatẽ inquiri, cõmodorũ captationes, dolos & fraudes abesse, quæ in omnes penè actiones hominum irrepunt irrumpuntq;. Vidit ex scholis sæpe euocari doctos, alios ad aularum officia, alios ad Ecclesiarũ gubernationes, alios ad scholas aperiẽdas & regendas, nonnullos deniq; ad alios

&

& varios vitæ cõmunis vsus & præsidia. Vidit deniq; in hac literatorum consuetudine, colloquijs & societate, reddi ciues & incolas humaniores & elegantiores moribus & habitu: cùm in alijs à quibus eruditiores absunt plus sit rusticitatis, inhumanitatis & barbariei, mirificè mores atq; sermõnem obfuscantis. His cogitationibus impulsus sanctissimus Rex, quàm benignum se erga professores Academiæ præstiterit, ostendit beneficium ex bonis capituli Roschildensis collatum anno 1571: quàm clemens etiam erga discentium cœtum, me tacente, centum stipendiarij in hoc regno, quatuor apud exteros, multæ scholæ Regiæ, omnes triuiales, egeni parochi, cantores, viduæ, orphani ex Dei administris relicti, vniuersa denique Respub: loquitur

& testatur. Ac ipse quoq; fundationē, à patre auctam confirmatamq; per omnia approbauit: ac tandem ipsius Regia Maiestas, nouam fundationem per Ecclesiastem suum (piæ memoriæ) virum clariß. & de Academia hac præclarè meritum, M. Nicolaum Coldingium huc transmissam, authoritateq; sua confirmatam & auctam, in frequenti Academiæ senatu, iussit recitari, etiam diligentiam docendi & disputandi à professoribus reposcens, & quidem meritò. Nam vt hoc principe nemo dedit liberaliùs & largiùs, nemoq; promissa seruauit fideliùs: ita vicißim eos, quorum conducebat operam, in officijs faciendis sedulos & diligentes voluit esse, summóque prosequebatur odio, quos in ocio & luxu audiuit hebescere & languescere.

Sed

Sed iam omißis alijs quæ maximè huc spectarent, ac vt tandem eò vnde egressa est mea reuertatur & finem suum consequatur oratio: meministis plærique omnes, ante quinquennium vocatis ac inuitatis Professoribus Academiæ, & verbi ministris in arcem hanc, ad solennitatem & pro felici auspicio nuptiarum, viri nobilißimi & clarißimi, Domini Christiani Frisij, quòd sanctißimus Rex inter alia, quibus Regiâ clementia & humanitate, nunquam satis laudanda, nos aliquoties sermone rectè regio & grauißimo dignatus est: etiam exemplum constantiæ in veræ doctrinæ ingenua confeßione, omnium seculorum memoriâ dignum edidit. Secesßit enim parùm à proceribus suis & splendida nobilium corona, ad Rectorem Academiæ & superio-

res professores Theologos & alios, apud quos post alia cœpit ipsius Regia Maiestas fidei suæ simplicem & perspicuam confeßionem proferre, & ita copiosè eruditeq́, vt facilè cognitum sit, eum rectas & sanas sententias de iustificationis nostræ articulo, de beneficijs & meritis Christi, de vnione duarum naturarum in Christo hypostatica, de vera sacramentorum essentia & vsu, deq́ alijs fidei Ecclesiæ capitibus, & cognitione comprehensas habuisse & firmiter retinuisse. Addebat se ita, vt diceret, ex animo credere, neq́ vnquam sententiam piam & verbo Dei consentaneã, mutaturum aut abiecturum esse: sed hanc doctrinam quam & ipse & pater eius amplexus fuerit, anteferre se omnibus rebus humanis, vitæ ipsi & regiæ dignitati, pia animi excelsi, & in

in Deo firmiter acquiescentis alacritate demonstrauit: tū etiam si quid impedimentorum, periculorum & aduersationum à Diabolo, & ipsius organis hisce suis conatibus, & Euangelij claræ doctrinæ in his regnis sonanti, obijceretur, se Dei auxilio velut cōtra pronum rapidi fluminis cursum, enixurū vt auerteretur, ac etiam si res ita posceret, hanc doctrinam suo sanguine obsignaturum. Quibus sic dictis tandē nos ita affatus est: Nouistis Rempub. capessendam affectanti, nullam magis necessariam curam, quàm ne improbis flagitiosisq́ ciuibus vrbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem ferant. Hanc ego cogitationem sequutus, doleo Christianam ac piam consensionem, spiritualemq́ue Rempub. patrum nostrorum memoria, operâ doctorum & piorum prin-

cipum magnanimorum pio feruore & magnis periculis, ex ipsis hiantiū diabolorum faucibus extractam, summo totius Reipub. Christianæ non tantùm cū dedecore: sed etiam detrimento, in disceptationem & ambiguitatem periculosam vocari ac traduci. Hinc enim paßim diuelluntur Ecclesiæ Christi, mutantur confeßiones, dißipantur scholæ, turbatur magistratus ciuilis, seducitur iuuentus, offenditur vulgus, Euangelij impeditur cursus, stabilitur papatus, inuehitur Atheïsmus, irascitur Deus, vt multa alia incommoda breuitatis gratiâ omittamus. Sicut ergo sanctiß. recordationis, meus dilectiß: pater suis temporibus, doctoribus horum regnorum cancellos vallumq́; præscripsit, extra quod grassantibus cupiditatibus aspirare fas non erat: sic & ego toto vi-

tæ

tæ huius decursu, eos perpetuò sum detestatus, qui ob ambitum ventosæ iactantiæ, admixtione corruptelarum, illibatam cœlestis doctrinæ bonitatem polluere, non duce Dei verbo, sed errore tantùm temerè ac paßim lymphante raptabantur. Notum est vobis, quotiens miseros Dei administros, inopiæ rei familiaris solamina quærentes, Regia censura protexi iuui, modisq; varijs lumina eorum penuriæ ac calamitatum nube caligantia tersi, contractaq; in rugam veste siccaui.

Itáque vobis professoribus huius meæ Academiæ, & singulis ac omnibus sacri verbi ministris, si fortè hebetante ac caligante prorsus memoria vestra, obliti estis functionum vestrarum & voluntatis nostræ, nunc iterum seriò mandamus ac

volumus, vt ab omni peregrina doctrina abstineatis, Religionem, Ceremonias & doctrinarum studia, patris mei sanctissimæ & dignissimæ memoriæ temporibus visitata, remotis & amputatis omnibus humanis sarcinulis, pura atq; incorrupta proponatis. Hæc enim sunt, quæ infructuosis affectuum spinis, vberem fructibus cœlestis doctrinæ segetem necant, hominumq; mentes curiositatis morbo asuefaciunt, non liberant. Si sunt quibus adhuc non satis ad vitæ sustentationem prospectum est, nobisque aliquam indigentiæ notam patefacere velint, omni diligentia in hoc studium incumbemus, vt præmia laborum iusta & honesta salaria auferant. Vestrum interim erit bene discere, rectè docere, & ex

do-

doctrinarum lucubrationibus quàm optimè facere &c.

HVius rei seriem atque verita-tem, ne latere posteros queat, hoc loco referre volui: quam nulla inuidorum obtrectatio dissoluet, nul-laq́ edacis caries vetustatis abolebit vnq̃. Ac vixit ante paucas septimanas testis huius narrationis locupletissi-mus, venerandus senex ornatiss. vir Dominus M. Nicolaus Schauenius, qui vt eo tempore magistratum publi-cum gessit: ita ordine primus fuit, & in quem cum socio sequente obtutum defixit (dignissimæ memoriæ) sere-niss. Rex: vnus verò vir doctiss. & clariss. postea vndarum mole suffocatus est, fatis etiam alijs duo-bus paulò post cedentibus.

Itaq́ & tanta tua, ô Diue Fri-derice,

derice, rei literariæ, cœleſtis atque incorruptæ doctrinæ ſitis, tantus a-mor, tanta cura, tantum deniq́ ſtudiū tuum, tantaq́ hæc tua conſtantia & munificentia, non tam ornamentum & adiumentum regno tuo attulit quàm furorem, vineam Domini vaſtantium hæreticorum, reprimat: quàm filio tuo electo Regi ac Do-mino noſtro clementiſsimo, ſimile deſiderium, non tam conſeruandi, quod tu Maieſtati eius reliquiſti im-perium ampliſsimum, quàm cœleſtem hunc Theſaurum, incorruptam nimi-rum & puram doctrinam, quam ſi-mul cum imperio apud eius Maieſta-tem depoſuiſti, alacri animo defen-dendi, amandi, iuuandi & modis omnibus ſincerè promouendi, ardo-rem ac ſtimulum inijciat, quàm de-niq́ nobis omnibus indelebilem tui

memo-

memoriam, debitamq́ue gratitudinem, reuerentiam nominis tui & regiæ familiæ, luctum & lacrymas quoties tui candidi pectoris, & paternæ erga nos omnes ſubditos tuos, propenſionis & mirificæ bonitatis recordati, vt maximè ſemper recordari decet, inſtillet.

Itaq́ue tu iam viue apud Deum, Rex amabilis, tuisq́ue ſubditis nunquam obliuiſcende. Iam enim ante ſeſquitertium annum, paulò ante Paſcha tranſijſti ad Paſcha cœlorum, vbi cum agno Paſchali epuleris in azymis ſinceritatis & veritatis, receptus in æterna tabernacula, vbi cum angelis indeficienti læteris beatitudine. Tu enim quamdiu temporali vita nobiſcum fruebaris, portus noſter & perfugium tutiſſimum fuiſti, verè boni regis officia

vi-

vigilanter implesti, tuæque preces aßiduæ, non minùs quàm parentis tui pyßimi, efficaces apud DEVM immortalem fuerunt, nobisq́ benedictionẽ spiritualem & corporalẽ pepe- rêre. Nunc autem raptus es, ne huius mundi ac Alastoris Diaboli nefanda malicia mutaret cor tuum. Ideóque pius Dominus Maiestatem tuam properauit educere de medio iniquitatum vt fructum laborum tuorum plenè perciperes.

Itáque dum Christianum Danicumq́ue nomen exstabit, quod durante mundo sempiternum fore polliceri possumus: dum literæ manebunt, dum vllus virtuti locus vspiam relinquetur, nunquam de tua Maiestate & laudibus aliorum piorum regum, gratæ conticescẽt Musæ. Nam vitam eorum, qui patriam con-

seruando,

seruando, Christianamq; religionem vindicando obierunt, non modò alit posteritas: sed etiam vt à sapientissimis viris accepimus, ipsa æternitas semper intuetur.

Vigent etiam hodie in ore, atque animis omnium, Harmodius & Aristogiton, vigent Horatij, vigent Decij, vigent alij plæriq; quòd de vita exire pro patria gloriosum iudicarint. At quantò magis immortalitatem consequentur, Deo grati & deuoti principes ac doctores, quorum alij suo sanguine, immensam Christiano nomini gloriam infinitamque victoriam pepererunt, alij patriæ Christianæq; pietatis propugnatores, pectora sua diabolorum, hæreticorum, & hostium DEI mucronibus ac telis constantissimè obiecerint, viduas & orphanos iuuerint, cœ-

tusq;

tusque docentium & discentium fouerint, auxerint & promouerint, iusticiæ deniq; sartum tectum conseruauerint. Hi inquam, quamuis à nobis migrauerint, ac ad sedem cœlestium mentium, ex quibus animos delibatos habemus, euolauerint, vbi æuo sempiterno, perpetuaque felicitate perfruantur: tamen iusticia eorum manet, memorialeque eorum non desinet in seculum seculi.

Itaque vos patres conscripti, qui huc frequentes conuenistis, vt actum hunc publicum vestro conspectu cohenestetis, vehementer commendo, & gratam istam diuinitùs accepti beneficij, cœlestis nimirum doctrinæ memoriam, sempiternis esse decorandam laudibus existimo.

Vos

Vos etiam Ornatißimi iuuenes, & auditores benignißimi, cùm animo iam cernatis, fortißimos viros qui tanto zelo & feruore, Dei æternum verbum defenderint, conseruauerint, eiusque ministros & doctores in his regnis liberaliter habuerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi ætatem cum mentibus beatißimis agant: quo nihil cogitari poterit beatiùs, nihilque magnificentiùs, consulite posteritati & memoriæ nominis vestri, eosque vt & præstantes doctores ac Episcopos, quos multos commemorauimus, vobis ad imitandum proponite, & ad studium sacrarum literarum citato cursu contendite, & existimate nihil esse laudabiliùs, nihilque præstantiùs, quàm cœlestem doctrinam rectè, ordine, fideliterq;

 discere,

discere, quàm eandem alijs tradendo de patria vestra bene mereri, quàm eius dignitatē puritatēq; rebus omnibus anteponere: neq; quicq̄ turpiùs, quàm suauißimā & vtilißimā hanc doctrinam à maioribus acceptam, ad posteros non transfundere: neque bonis ingenijs posse magis ignominiosum quid accidere, quàm in ocio obtorpescere: & occasiones, quæ Reipub. dignitatem vtilitatemque attingunt, subterfugere. Nam si locus exercendæ pietatis in patria non daretur, esset is vobis omni studio omnique cura peruestigandus: nunc verò cùm in patria vestra, tam præclara tamque necessaria, & quidem à maioribus vestris sit oblata, arripite atque vrgete occasionem: atque cùm breuis hominibus vita data sit, memoria verò bene redditæ

ditæ vitæ sempiternæ: hoc in animo constitutū habete, ita vobis esse viuendum, vt etiam vos morituros esse sciatis: sed ita deniq; moriendum vt memoria nominis vestri, sit apud DEVM immortalem reposita, & ad omnem æternitatem apud eundem duratura. Quod vt nobis omnibus cumulatè contingat, te DEVS omnipotens pater, cuius nutu cuncta gubernantur: teque IESV CHRISTE fili DEI viue, cum sancto spiritu, qui in tua tutela & præsidio, hanc optimam & florentissimam Rempub. Danorum delitescere & esse, pro immensa tua misericordia perpetuò declarasti, quiq; eam semper ab hostium externorum impetu, furoreq; seruasti,

omnes piè, & ex animo
vehementissimè
precamur.

FINIS.

BEATA GENS QVÆ DOMINVM HABET PROTECTOREM SVVM, ET POPVLVS ILLE FELIX EST, QVEM DOMINVS SIBI ELEGIT, VT ILLVM PECVLIARI MODO CVSTODIAT.

Ibidem

Ecce oculus Domini obseruat & custodit eos, qui reuerenter colunt ipsum: & eos qui patienter expectant, vt benignitatis illius participes fiant.



Octernione H, pag. 2. lineam expunge diſtinctionis, ac lege coniunctim cogitationibus. Deinde altera facie eiuſdem paginæ, ad colligendum ſenſum, pro putauit lege puniuit. In octernione Q. pagina vltima facie 2. quod à me duabus literis P. C. more latinorum poſitum erat, corrector ſubſtituit ac enunciauit integris literis, patres conſcripti. cætera errata amicus candidus ipſe corriget.





HAFNIÆ

IMPRIMEBAT MATTHIAS VINITOR.

ANNO 1591.





NIÆ

MEBAT
HIAS
TOR.

NO
94



[illegible] [illegible] [illegible] ... 24. Julij
obiit ao 1559. 1. Janv.


Hyldet 1542

Fridericus 2 D. gr. Rex Daniæ natus ao chri 1. Julij. Coronatus ao 1559. [illegible] studiosis [illegible] [illegible] fundavit 1569. 25 Jul.

x [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Landt.
ao 1565 [illegible] [illegible] for [illegible].
obiit ao 1588. 4 apr. festo Cœnæ Dom. [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ao 1563. [illegible]

Christianus 4. d. grat. natus ao chri 1577. 12 ap.
x Fridericsbergi. coronatus ao 1596. 29 aug.
x hyldet [illegible] Viborg Landsting ao 1584. 14
indtog Calmar Slot 3 aug. 611.
[illegible] Dronning Anna Catharina obiit 1612.
Martij [illegible] [illegible]

Christianus 5. natus ao chri 1603. hyldet ao 16


1086.